DISQUISITIO MEDICO-SACRA,

DE

MODESTIA SCRIPTURÆ IN REBUS VERECUNDIS,

Cum Approbatione
FACULTATIS THEOLOGICÆ,
IPSO ACADEMIÆ NATALI,
publicæ luci expoſita
à

D. CHRISTIANO VVARLITZIO,
Medicinæ Profeſſore P.E.
nec non Archiatro Saxon. & Anhalt.



VITEMBERGÆ,
Typis & Sumptibus CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.
Anno M DCC IIX.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO DN. D. CHRISTIANO VVARLITZIO,

Professori P. E. in Academia Vitebergensi meritissimo, &c.
Fautori & Amico honoratissimo,

S. P. D.

Johannes Deutschmann / D. Acad. tot. Prof. Prim. & Sen. templi Lutheranæ Reformationis Præpos., Alumn. Eph. & p. t. Dec.

SCriptura sacra, genuinum DEI verbum, multis dicitur Encyclopædia omnium scientiarum, disciplinarum & artium seminarium atqve promptuarium. Aliis dicitur & est Pansophia, tum omnis sapientiæ divinæ vel cœlestis, & humanæ vel terrestris, fons atque principium. Ab aliis vocatur studium universale, cum vere sit plenissimum omnium studiorum & laborum ἐργαστήριον atque Gymnasium. Inveniunt hic Reges & Principes sui regiminis arcana, sicut Rex David Sapientissimus per dies atque noctes omnes suas in lege Domini meditationes instituebat, habent hic consiliarii sua consilia per omnem vitam optima; Vident hic Philosophi suarum scientiarum fundamenta, Theologi Regni DEI mysteria; JurisConsulti statuum omnium & legum optimarum vincula; Medici quævis artis suæ probatissima pharmaca & experimenta. Demonstrasti, VIR Optime, tenus hac variis & egregiis scriptis, bono publico per industriam laudatissimam donatis. Testatur id ipsum Senium Salomonæum pariter & Museum Curiosum cum aliis. Comprobat item præsens, de modestia Scripturæ, scriptum elegantissimum, multis studiis atque laboribus congestum. Gratulor Excellentiæ Tuæ ex animo de tam egregiis studiorum laboribus, precorque DEUM ex intimis, ut his sanctis, ex Scriptura S. congestis, meditationibus semper favere, coeterosque, qvos publico promittis, libros gratia sua promovere, & ad Numinis sui gloriam, variæqve benedictionis adfluentiam paterne dirigere velit! Scriptum d. XXII. Sept. Anni Jubilæi Academiæ Viteberg. secundi M. DCC II.

Nobi-

2326.

Nobilissimo & experientissimo Doctori Medico,

CHRISTIANO VVARLITZIO,

Medicinae Professori Publico Extraordinario celeberrimo, Sax. et Anhalt. Archiatro meritissimo, eruditum de modestia divinioris scripturae in rebus verecundis opusculum edenti,

gratulatur

Henricus Leonardus Schurzfleischius, D. et Histor. P. P. Ordinarius.

CAsta dictio castos decet, et bonos mores ornat, a qva ne profani qvidem homines, qvos melior disciplina imbuit, abhorruerunt. Pythagoras sapientum antiquissimus, qvod ratio admonet, exemplo confirmat, et res naturales, qvarum usus obscoenus est, pudori consulens, aliis et commutatis verbis declarat. Documento sit fabae nomen, Græcis κύαμος dictum, qvod Empedocles Pythagorae disciplinam secutus, sine vitio et fallendi animo, aliud dicens, atqve intelligens, caste et concinne pronunciavit. Quae res patri historiae Herodoto curae fuit, qvum *haemorrhoidas* eleganter circumscripsit, et decore appellavit θηλείαν νῦσον, suavitate sermonis Ionici delectatus. Latini eam scribendi rationem sumpserunt a Graecis, et *partes necessarias*, significatu moribus conveniente, enuntiarunt. Secus atq; Medici solent, qvi scapham scapham vocant, et partes naturales, suis qvasqve propriis nominibus, casto nihilominus sensu, in ipsa naturae adyta penetrantes appellant. Divinus senex, magister Cous, hanc praeivit viam, et verba, ad naturales usus pertinentia, ab eo mutantus est Philosophorum inambulantium princeps, quae nec Gaza, nec Cornarus, magni alioqvin interpretes, dextre semper explanarunt. Atqvi divinior Scriptura aliorsum spectat, et refugit a vocabulis, vel obscoenitatis speciem habentibus, ac DEi maiestatem non minus in verbis, quam in rebus, caste et constanter servat, ut religio animis legentium afferatur. Qvod argumentum cura tua dignum est, et magnam cumulatamqve laudem promittit, nec minus eruditionem, qvam pietatem eximiam, cum singulari solertia coniunctam, Medicis perinde ac Theologis, Scripturam legentibus, et exponentibus commendat. Ego autem hoc institutum laudis plenum iure comprobo, & merito gratulor; simul opto, ut magnum ex eo decus cum ad Te, tum vero fructus insignes ad artis tuae filios, atqve alumnos, imposterum redundent. Dabam Vitembergae Saxonum IIX. Kalend. Octobris A. O. R. cIc Iↄ CCII.



I. I.
PROLEGOMENA.



IHIL PROFECTO REPERITUR, QVOD hominum oculos magis attrahat animosq: afficiat, affectus alliciat, decorem & gratiam cum apud Deum immortalem, tum apud mortales concitet, quã modestia, verecundiæ socia, item comes ac proles, prout cognominatur a Jac. Rauppio in Syst. Th. Pr.

Optimus qvoqve thesaurus est castitas, custos & ornamentum omnium virtutum, ac pulchritudo animæ, Spiritûs S. domicilium, tanqvam castitatis autoris, & puritatis animi ac corporis amatoris, quare columbæ castæ formam assumsit, Matth. 3. v. 16. hinc stylus qvoqve Scripturæ est verecundus, & sermo sanctus vel castusve, dum ea, quæ aures offendere possent, verecundis verbis exprimit, aut verecunde describit, annotante Hottingero in Thes. Phil. p. 228.

Matth. Polus in Crit. in C. 1. Genes. scribit: Lingva Hebræa honestis vocabulis res obscœnas exprimit, ideo sanctam lingvam appellari asserunt, imo matrem lingvarum reliquarum sanctissimam Christ. Wormius dicit de corr. antiq. Hebr. vestig. p. 1. R. Moses ben Majemon & Isidor. Clarius in ann. in V. T. ideo sanctam vocant, qvod nulla in eadem inveniantur propria nomina, quæ significant pudenda utriusque sexus, aut egestionem &c. sed saltem tropica

Joh. Drusius in obs. sacr. l. 15. c. 12. addit: juxta nonnullos

lingua Hebræa ſancta vocatut, quod in ejus lectione nihil obſcœni contineatur. Nam ſi quæ verba minus honeſta occurrunr, ea per alia verba honeſtiora proferuntur.

R. David Kimchi tradit, nullum vocabulum proprium in lingua illa deputatum eſſe ad aliquam turpitudinem aut fœditatem, ſed per aliquas circuitiones exprimi, aut honeſtas circumlocutiones, cui tamen R. Moſes bar Nachman contradicit.

Contra qvàm ſalax ſit lingua Latinorum & Græcorum, v. g. in enodandis partibus genitalibus, oſtendit in opuſc. de pudore Ant. Ludovicus p. 55. D. Abraham Balmeſius ideo Sanctam dici contendit, quod Deum ſanctum habeat autorem, qui eſt Sanctitas Sanctitatum, ut loquitur R. Samuel Arcuvolti, R. Aſarias linguam ſanctam exponit per æternam, alii vero ratione argumenti, alii propter terram ſanctam, in qua exercebatur, alii denique ratione populi ſancti, cui erat ſolennis, prolixius hac de materia differentem habes Joh. Buxtorf. diſſ. 1. de lingv. Hebr. orig. & antiq. p. 50.

Non ſolum autem lingua Hebræa a caſtitate commendatur, ſed etiam a dignitate, qvippe qvam Deus initio rerum formavit, qvam Divina Majeſtas ſæpe uſurpavit, nec non angeli in colloquio hominum, quæ Oracula cœleſtia continet, quæ nomen Dei admirabile, quod priora ſecula ſacro ſilentio ſemper ſunt venerata, ſola novit, ut loquitur Iſaac. Caſaubonus Exerc. IX. ad ann. Eccl. Baronii p. 198.

Ut ſummatim dicam: lingua Ebræa eſt antiquiſſima, ſicut Græca copioſiſſima, & Latina elegantiſſima (notanter tribus his linguis titulus crucis JEſu fuit conſcriptus. Hebræa enim lingua eſt ſancta, Græci habebantur ſapientiſſimi, & Romani potentiſſimi, qua varia inſcriptione indicabatur; Chriſtum eſſe ſanctiſſimum ſapientiſſimum ac potentiſſimum, omniumque populorum Salvatorem.)

At poſſet aliquis opponere: omnino multa obſcœna ſcandaloſa ac turpia contineri in codice Biblico e. g. in Cantico Salomonis, item qvando agit de membris corporis humani inhoneſtioribus ac pudendis 1. Corinth. 12. v. 23. de Sodomia, inceſtu, & libidine

bidine nefanda ut Jerem. 3. v. prior. Hos. 1. v. 2. it. de menstruis aliisque excrementis, ut 2. Reg. X. v. 27. Philip. 3. v. 8. (& hæc inter alia causa est, cur Pontificiæ Cathedræ Patroni plebejis lectionem Scripturæ S. prohibeant, qua de re vid. Bellarminus aliique.)

Ad primum qvod attinet, respondeo cum Schmidio Com. in Hos. p. 76. dist. inter scandalum datum & acceptum: illud in Sacris nullibi invenitur, aut ex iisdem oritur, hoc vero e Scriptura qvidem capitur, sed id unice fit hominis impii culpa ac malitia: deinde Canticum Salomonæum nil spurci in se continet, dum de Christo agit ejusque sponso; admirabilis potius in eo sermonis character est emblematibus ornatus, mysteriis ac figuris elegantissimis, prout ostendit Ratbertus in vita Adelhardi. Audiatur Alfonsus Salmeron prolegom. X. p. 168. h. v. nemo in libro Salomonis legendo carnaliter aut corporaliter cogitet, sed spiritu ascendat ad suavitates & dulcedines animorum, quæ omne carnis vel mundi delectamentum superant, ne in verbis vitæ æternæ certissimam spiritus mortem sibi accersat.

Porro hæc materia non est impura, nisi mentem impuram afferas, pudenda vocantur ex accidenti, juxta Olearium, quia inconvenienter detecta pudorem pariunt, ut infra ostendam.

Ad alterum respondet Lud. Lavaterus Com. in Ezech. p. 117. qvod fœdis his verbis Spiritus S. utatur nonnullis in locis, fit, ut peccatorum fœditatem melius exprimat, horrorem ac atrocitatem eorum mentibus hominum firmius imprimat, adeoque illi probe sibi caveant ab illis turpitudinibus, non vero ut adsuescant turpiter ac spurce vel facere, vel loqui, sed potius offendantur verborum obscœnitate atqve assvescant caste modesteqve loqvi.

Hoc in passu Scriptura similis est libris Medicorum, in quibus multa de morbis abominandis tractantur, curationis ergo; ita in Sacris Pandectis qvoqve multa turpia qvandoqve ponuntur, v. g. stuprum, gestus ac verba meretricis & adulteræ, ast tantum tanquam in speculo, non imitationis, sed aversationis gratia, qvem in finem modeste loquitur Spiritus S. & res turpes honestis verbis declarat in nostram commonefactionem Rom. 15.

v. 4. ut nos quoque obſcœna evitemus, ſcandaloſosque ſermones, vid. Urb. Rhegium de formulis caute loquendi, & αἰσχρολογίαν, juxta monitum Paulin. Epheſ. 4. v. 29. & c. 5. v. 4. & Coloſſ. 3. v. 8. ubi λόγος σαπρὸς i. e. ſermo putris vel carie vitiatus, juxta Schmidium partim futilis & inutilis, partim malignus, aliisque noxius, juxta Eraſmum ſpurcus, & ſecundum Bezam corruptus redditur.

Quodſi enim de verbo otioſo JEſus noſter rationem reddendam eſſe dicit Matth. 12. v. 36. (ῥῆμα autem ἀργὸν, Hieronymo teſte, eſt quod ſine utilitate & loquentis & audientis dicitur, ſeu, ut D. Pol. Lyſerus in cont. l. III. Harm. Ev. D. Chemn. p. 22. exponit, quod omni utilitate vacuum temere effutitur, nulla vel ſui ipſius, vel aliorum habita ratione, ex quibus nulla utilitas nec ad Deum, nec ad dicentes, nec ad auditores redit, juxta Joh. Vorſtium P. I. phil. S. c. 3. p. 80. quod etiam de verbis vanis uſurpatur. Exod. 5. v. 9. quæ ſecundum Chaldaicum verſionem ſonant, verba levia ac inania, Græcis ματαιολογίαι, item ὁμιλίαι κακαὶ 1. Corinth. 15. v. 33. it. κενοφωνίαι 1. Timoth. 6. v. 20. Plura leg. apud Joh. Maldonatum Com. in Matth. p. 265. Adam. Conzen. comm. in Matth. p. 252. Aug. Marloratum in expoſ. Eccl. in Matth. p. 84. & Andr. Glauch. tract. de verbo otioſo) multo magis de obſcœno ac turpiloquio, in die enim judicii verba quoque pro factis imputabuntur, afferente Er. Roterodamo paraphr. in Matth. p. 81.

Qvod ſi in præſentia ſummi Principis os cohibemus a ſputo & excreationibus, quanto magis in omnipræſentia Regis Regum ab impuris loquelis. Satanas linguis noſtris potiſſimum inſidiatur: quibusdam ſermonis uſum eripit, aliquos in ſpiritualibus reddit mutos, ac elingues, alios contra in convitiis & injuriis, maledictionibus & execrationibus, turpiloquiis & obſcœnitatibus nimium facit loquaces.

Deplorandum itaque eſt ſerio, quod nobiliſſimum in homine membrum, lingua videlicet, ad laudem Dei factum, ſæpiſſime fiat Diaboli organum, ideo ſermones impudici ſputa Diabolica à Guil. Peraldo appellantur, quare ſermonem noſtrum condiamus Coloſſ. 4. v. 6.

Maimonides expresse fatetur circumcisionem in membro virili institutam esse, ut libido hominum imminueretur. Os est simulacrum cordis, & in verbis mundis, velut in speculo, resplendet mundities cordis. Sicut auri a scoria purgati puritas tinnitu cognotur; Sic mundities cordis ex sonitu verborum castorum patescit.

Non frustra quoque Natura provida inter omnes corporis partes linguam saltem ac genitale virile frænulo alligavit, prout Anatomicis notum. Scilicet ad compescendas easdem, non solum linguam in mysteriis, quæ idcirco a μύειν τὸ ςόμα ab occludendo os denominantur, nec non in secretis occultandis, unde mos fuit apud gentiles in sacris cultibus & arcanis exclamare: favete linguis! seu pascite linguam! sed etiam in vita communi, unde in Statuis Anacharsidis inscriptum erat: γλώσσης, γαςρός αἰδοίων κρατεῖν, linguam, gulam, mentulamque esse cohibendam. Sic Jacobut c. 1. v. 26. ac Prucknerus in vind. Bibl. refrænare linguam jubet i. e. modeste ac prudenter eam moderare, ducta similitudine ab equis ferocibus, qui freno diriguntur Ps. 32. v. 9. vid. Reichmannus in der Geistl. Vorraths-Kam. zum Pr. P. IV. p. 195. it. Aretius, Philo Judæus ac Drexelius in Phaet. h. l. de univ. linguæ vitiis. Quapropter verba prius per limam, quam per linguã transeant.

Atque hæc me præfatum esse sufficiant. Accipe, Lector benevole, opusculum hoc tenui stylo ac incomposito dicendi filo compositum, & candido ac modesto animo excipe, beneque consule. Quodsi gratum fuisse intellexero, alia studia Medico-Sacra elucubrata communicare non recusabo.

* * * * * * * * *

REVERENTIAM JAM SCRIPTURÆ SACRÆ AC modestiam quod attinet, agnoscenda hæc est & admiranda in secretis & excretis naturæ, castarumque aurium offensivis pronunciandis. Res enim alias obscœnas verecunda periphrasi, vel verbis honestis exprimit.

Primum quidem in genere quicquid turpe, sordidum ac impurum erat, id Hebræis COMMUNE dicebatur, ut cibi impuri Actor. 10. v. 14. & 28. & c. 11. v. 8. & Rom. 14. v. 14. cum marg. Luther. vid. Benedict. Aretius Comm. in Marc. c. 7. Unde a κοινὸς

voca-

vocabulum latinum cœnum ortum ducit, item græcum κοινῶ inquino.

In V. T. commune vocatur, quicquid Deo non est proprium, consecratum & separatum Deuter. 20. v. 6. Sic contra popul9. Judaicus per legem Mosaicam & circumcisionem erat separatus ab aliis gentibus. In N. T. vero commune usurpatur pro immundo & contaminato, ut Matth. 15. v. 11. & Marc. 7. v. 2. unde Joh. Maldonatus Comm. in Marc. p. 759. ait: communia vocant Hebræi, quæ sancta & munda non sunt, hinc Pharisæi, qui in lotione manuum non solum corporis munditiem, sed etiam animi sanctitatem consistere putabant, illotas manus communes, id est pollutas, profanas, minimeque sanctas appellabant: & Marloratus inquit: Commune facere, more Judæorum, dictum est pro impurare seu impurum reddere, huic opponitur purificare Actor. 10. v. 15. Communia itaque Judæi vocabant, quibus vulgo utebantur gentes, & ideo impura ac profana, ut Latini loquuntur, metaphora sumta est ab iis rebus, quæ, quod communes sint, & a multis tractentur, sordes colliguntur & impuritates: ex mente Jac. Raupii in Lexic. Theol. formula loquendi inde fluxit, quod Judæi animalia immunda, a quorum esu abstinebant, κοινὰ communia vocarent, certe unum est alterius interpretatio. Immunda enim in commune relinqvuntur, munda vero separantur & asservantur.

Porro lunare illud fœmellarum tributum seu MENSES Scriptura vocat CONSVETUDINEM MULIERUM Gen. 31. v. 35. Cum enim mulieres apud plerasque nationes sint otiosæ & domi sedeant, ac nendo, fila trahendo similibusque negotiis tempus consumant, hinc propter vitam cochleariam excrementa varia cumulantur, & in Sanguine servantur, quæ in viris, excitato per laborem calore, sudore eliminantur. Hinc natura provida vectigal hoc lunare illis salutariter imposuit, quod solvitur de rosa vitæ, & quidem statuto lunæ tempore, hinc communiter vocatur die Zeit Levit. 15. v. 20. & 23. it. die Blume. Sicut enim flos præ cedit fructum, ac spes est fructus; Sic qvoqve ordinarie fœmellæ, qvamprimum fiant menstruatæ, aptæ habentur generationi.

Plinius

Plinius Valerianus, ſcriptor vetuſtus, vocat juſta fœminarum. Codex Sacer vero Geneſ. 18. v. 11. juxta fontem nominat VIAM MULIERUM. Urach enim ſignificat viam ſeu ſemitam q. d. Moſes: Sanguis mulieribus conſuetus per viam ordinariam fluere & ſemitam quærere deſiit: Alfonſus Salmeron Prolegom. XIV. p. 280. ita: Nomen viæ tria ſonat in Scripturis, quod per eam homines pergant, non ſecus ac viatores per viam incedunt. Sic via univerſæ terræ eſt mors ſeu conſuetudo moriendi Ioſ. 23. v. 14. Secundum Pagninum & 1. Reg. 2. v. 2. Porro Gen. 19. v. 31. filiæ Lothi dicebant: nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos juxta morem univerſæ terræ i. e. juxta morem, quo mariti ingrediuntur ad uxores: & denique via mulierum eſt menſtruum quolibet menſe conſuetum. Juxta vulgatam verſionem: Saræ MULIEBRIA fieri deſierant, dicuntur muliebria, quia ſolis mulieribus inter omnigenas fœminas fluunt, juxta Franc. Valleſium de Sacr. Philoſ. p. 99.

Item ÆGRITUDINEM MULIERUM Ezech. 18. v. 6. c. 20. v. 10. & c. 36. v. 17. Ordinarie juſtus menſium fluxus fundamentum eſt ſanitatis muliebris, cujus expurgationis beneficio innumeras effugiunt ægritudines, ſuſpenſo vero hoc tributo efferveſcentem ac turgeſcentem Sanguinis impetum experiuntur miſeræ fœmellæ. Nunc enim ſentiunt dolorem dorſi, & circa ſpinam lumboſve pulſationem, nunc artuum tenſivam laſſitudinem & gravitatem, nunc cephalalgiam, ac hypochondriorum inflationem, interdum quoque ſanguis iſte ſufflaminatus regurgitat & excitat faciei decolorationem, dolorem dentium, & ſæpe per os, nares, aures, oculos, mammillarumque papillas effluxionem. Quare non minus ſcite quam perite ſcripſit Democritus: uterus eſt ſexcentarum ærumnarum autor, ac Hippocrates: uterus radix eſt morborum muliebrium, nil dicam de menſtruis verminoſis, de quibus leg. Panarolus.

Item SORDES AC IMMUNDITIEM Eſa. 30. v. 22. juxta Pagnini verſ. & c. 64. v. 6. Thren. 1. v. 8. & 17. Baruch. 6. v. 18. Levitic. 18. v. 19. Ezech. 36. v. 17. & Eſther c. 14. v. 16. Secundum fontem ut pannum menſtrualem illud deteſtor, hinc Bathſeba a

Vulgato interprete dicitur] ſanctificata ſtatim ab immunditie ſua i. e. a menſtruo liberata, adeoque apta ad conceptum 2. Sam. 11. v. 3. Non autem menſtruorum impuritas eſt peccatum, ſed peccati pœna, & admonentur mulieres hac externa immunditie de interna peccati impuritate, ut agnitam ex animo deteſtentur, inquit D. Luc. Oſiander in Levit. c. 15.

Item FLAGILLUM Marc. 3. v. 10. & c. 5. v. 34. elegant, certe metaphora, quia vindex divinus hoc malo ſexum fœmininum paterne flagellare ſolet, in revocandam memoriam, quod autores fuerint peccati, nec non ad caſtigationem & vitæ emendationem, juxta Baſilium & Theophylactum. Audiatur Mart. Chemnitius in Harm. Ev. l. 3. P. II. p. 55. μάστιγες non vulgares ſunt morbi, ſed ſæviores, ac inuſitati, qui quaſi clamitant de ira & pœna divina & p. 539. hujusmodi morbi & calamitates non ſponte vel temere veniunt; ſed a Deo caſtigante, pios quidem ut ſanet, impios vero ut perdat: & P. 1. p. 248. ait: Marcus vocat morbos flagella 1. ut oſtendat eos a Deo immitti, 2. ut ſignificet morbos graviores & ſæviores. Ita enim pœnæ dividuntur in virgam & flagellum 2. Sam. 7. v. 14. & Pſ. 89. v. 33. Denique Proverb. 19. v. ult. μάστιγες & τιμωρίαι flagella & ſupplicia conjunguntur, ut nos ad pœnitentiam agendam ceu flagro compellant. Sic quoque Lucas c. 7. v. 21. νόσους καὶ μάστιγας conjungit, ſed tamen diſtinguit ita, ut μάστιξ plus aliquid eſſe videatur. Conſulatur hic Caſp. Sagittarius in Harm. Hiſt. paſſ. 577.

Item FONTEM SANGUINIS MULIERUM Levit. 10. v. 18. Marc. 5. v. 29. ubi eleganter fons ſeu ſcaturigo ponitur pro vena, unde manat ſanguis ex membro genitali. Nam ex corpore ejus, quaſi e fonte, ſanguis continuo ſcaturiebat, unde Arabicus vertit: Curſum ſanguinis: vel pro ipſo fluxu ſanguineo, hoc ſenſu quoque oculus nonnullis vocatur vena & fons lacrymarum i. e. copioſe lacrymas profundens, ut Jerem. 9. v. 1. LXX. habent πηγὴ δακρύων profluvium lacrymarum, ſit pori vocantur fontes ſudoris, de quibus conſulatur celeberrimus Borrichius, Bellinus & Fracaſſatus. Steno annotavit ſingulis poris ſuas glandulas ſubjacere ſubcutaneas, qui majoris ſunt in ægrotis & ad ſudorem proclivibus,



vibus, minores vero in ſanis, & Nehem. Grew. quemlibet porum ſpeciem fonticuli repræſentare microſcopio oſtendit, qua de re plura diſſerui in Tract. meo de Senio Salomonæo.

Irem DIES SEPARATIONIS Levit. 15. v. 20. juxta Vulgatum. Matth. enim Polo annotante in Critic. menſtruatæ mulieres ſanguinem ſtillantes Veteribus adeo fuere abominandæ, ut nec commercio, nec alloquio eas dignarentur, quare allegorice peccata patrata in Deum conjugem noſtrum cum menſtruis comparantur Thren. 1. v. 8.

Juxta annotationem Hebræorum fœmina menſtruata Galmuda vocabatur, quia a viro tum temporis ſeparabatur. Galmud namque denotat ἐκβλητὸν i. e. ejiciendum, Leg. Petrus della Valle in itinerar. P. I. p. 169. cujus verba hæc ſunt: In der Samariter Häuſer habe ich was ſonderliches geſehen / nehmlich eine auff der Erden in einem Winckel an der Wand zuſammen gefaltene Matratze / und um dieſelbe rings herumb kleine über einander gelegte Steine; auff dieſer Matratze muß ein Weib in ihrer Reinigung bleiben / und darff ſie in währender ſolcher Zeit niemand anrühren / denn ſie halten alles / was ſie nur anrühret / für unrein / nnd deßwegen muß ſie an dieſen Ort von andern abgeſondert bleiben / und niemand zu ihr näher / als biß an die Steinlein kommen. Daß Weib muß 8. Tage lang daſelbſt verbleiben: wenn aber der Fluß in ſolcher Zeit nicht auffhöret / iſt ſie verbunden noch andere 8. Tage daſelbſt zu verharren / und alſo ſo lange / biß derſelbe nachläſſet / welche Gewohnheit von den rechten Jüden nicht ſo ſtreng in acht genommen wird.

Et Robertus Knoxius in itinerar. Ceilon. p. 197. addit: ſo lange die Weiber ihre Zeit oder Kranckheit haben / werden ſie vor ſehr unrein geachtet / ſo gar / daß das Hauß ſelbſten vor ſo befleckt gehalten wird / daß ſich anch niemand zu ſelbigen nahen will: ja die Frau ruffet ſelber denenjenigen zu / ſo ſich nahe hinzu machen wollen / daß ſie ihr Hauß meiden möchten.

Notanter ergo Zachar. 13. v. 1. Niddah ſeparationem, impuritatem, immunditiem, & peculiariter mulieris menſtruatæ, ſeu menſtruum ipſum ſignificat, quo notatur juxta Joh. Schmidium

pecca-

2336.

peccatum Originale, quod hominem a Deo separat. Sicut menstruum fœminam separabat a viro tempore fluxus mensium Ezech. 18. v. 6. & c. 30. v. 17. &c.

Ejusmodi mulier menstruosa a LXX. interpretibus vocatur γυνὴ ἀποκαθημένη Levitic. 12. v. 4. & 5. juxta Pagnin. dicitur sedere in sanguine it. c. 15. v. 19. & 20. imo locum Esa. 64. v. 6. LXX. vertunt ὡς ῥάκος καθημένης, sicut pannus menstruatæ sedentis. In sacro enim Codice abominabilis habetur fœmina, dum est in menstruis, horumve pensionem solvit, ne itaque hoc tempore omnia, quæ tangeret, pollueret, sedebat ut plurimum, nec se commovere concedebatur.

Ejusmodi sessio separata erat Rahelis Genes. 31. v. 35. hanc ob causam Salomo nolebat uxorem habitare in domo Davidis sanctificata 2. Paralip. 8. v. 11. Solent enim mulieres menstruis laborare, quæ ingressu templi arcebantur, donec mundarentur, vid. Raymundi Martini pugio fidei p. 61.

Fluor hic sanguinis memoriale est perpetuum naturalis contaminationis sanguineæ, in qua omnes nascimur, Ezech. 16. v. 6. Judæi & antiquitas simplex ac superstitiosa sanguinem menstruum malignum ac virulentum esse credebant, morbumque gallicum ex congressu cum fœmina menstruata oriri posse putabant. Ita enim dicit R. Acha: si homo coierit cum uxore sua in diebus menstrui ejus, filii percutientur lepra. Hac de re consulatur Sinibaldus in geneanthr. p. 586. & 766. Horstius in manud. ad Medic. P. I. c. 1. p. 12. Roderic. a Castro de nat. mul. P. 1. l. 2. p. 78. Santes Ardoynus de venen. p. 259. Voglerus de reb. nat. ac. Med. in Scr. S. p. 114. aliive.

Verum licet sanguis is menstruus interdum pravam acquirat qualitatem, id tamen non per se præstat, sed per accidens, quatenus scilicet vehementer corrumpitur ex stagnatione, aut aliis pravis humoribus miscetur. Nonnunquam mulieres sunt valde morbosæ, scorbuticæ, cachecticæ, aut lue venerea affectæ, inde earum sanguis menstruus est noxius, maxime si longo tempore fuit suppressus, hinc multas res potest inficere, vid. Jul. Cæs. Arantius de fœt. H. p. 13. Franc. Piens de febr. p. 498. & Regn. de

Graaf,

Graaf de organ. mul. p. 135. Ejusmodi fœmina menſtruata non per faſcinum, ſed per tranſpirationem ſenſibilem & inſenſibilem non tam ex oculis; quam partium poris corrupta effluvia efflat: Sic vetulæ quædam, licet honeſtæ, inſciæ ſæpe ſpargunt de ſe partim per halitum, partim per ſudorem copiam particularum iſtarum malignarum, ex quibus ſanguis earundem conſtat, quæ ſe inſinuant in corpus alterius.

Denique Hoſ. 5. v. 7. menſes NOVILUNIUM appellantur, ubi Junius & Danæus locum illum ita explicant: novilunium eas conſumet, i. e. menſtrua. Vulgo enim ſtatuitur juniores adoleſcente, adultiores vero ſeneſcente luna purgari, ſecundum dicterium illud:

Luna vetus veteres, juvenes nova luna repurgat.

(quanquam hoc experientiæ non ſemper reſpondeat, ſed pro naturæ, & diætæ, temperamentorum ac regionum diverſitate variet) retentis vero his menſtruis ſingulæ corporis partes labefactantur tandem, ac tabe ſæpe conſumuntur, maxime ſi maſſa ſanguinea eſt impura, & hectica accedit cum phthiſi, quando menſes ſuppreſſi regurgitant ad pulmones eosdemque arrodunt, unde omnia membra contabeſcunt ac lente perduntur.

Incidit hic locus 2. Sam. 10. v. 4. ubi Hugo Grotius Annot. in V. T. ita vertit: præſcidit veſtes eorum medias, nempe a medio ad imum, ut ea nudarent, quæ tegi vult honeſtas. Sebaſt. Münſterus vero annotavit, quod veſtimenta illa in fonte modo ſignificent proprie iniquitatem ac menſtrua muliebria, quod usque ad eum locum fuerint ſucciſa, ubi natura plerumque immunda & excrementitia eliminare ſolet; Pagninus vertit: ad nates eorum. Nam Schet ſignificat nates, B. Lutherus autem modeſte reddit: usque ad cingulum, Proinde veſtes ita fuere præciſæ, ut neque verenda, neque nates amplius tegere potuiſſent. Olim enim braccis carebant, ſed longas veſtes geſtabant, quibus ea, quæ Natura contegere jubet, operiebant.

Tandem emphatice hic ſcribit Philo Judæus p. 781. menſtruorum fluxus tempore maritus abſtineat a coitu, nec committat, ut fœtus minus abſoluti propter intempeſtivam voluptatem in

lucem

lucem veniant. *Id* enim perinde fuerit, ac si ebrius ac insanus agricola in paludes torrentesve, non in arva sementem faceret. B. Lutherus enarr. in c. 18. Genes. ita scribit: discendum est, quod Deus masculis & fœminis indiderit semen ad propagationem, uni plus, alii minus, uni fortius, alii infirmius. Non enim generatio alio modo fit, quam per seminationem.

Hebr. 11. v. 11. extat vocab. καταβολὴ τȣ͂ σπέρματος, quod significat jactum seu projectionem seminis, eo quod semen in matricem ejaculetur, & in ea susceptum retineatur, velut cum agricola semen in agrum projicit, qui actus conceptio vocatur, hinc semen quasi serimen dicitur. Plutarcho scriptore lib. de præcept. conjugal. p. 144. satio conjugalis est omnibus sacratior, & de liberis gignendis instituta aratio: in hac imprimis virum ac mulierem religiose conversari addecet, congressibus extraneis puros sese conservantes, nec ibi serentes, ubi nihil enasci velint: Oratores quoque ac Poëtæ passim uterum horto, agro vel arvo, in quibus plantæ protuberant, comparant, & hortulum veneris nominant. vid. Petr. Laurembergius in appar. Plant. l. 1. p. 97. ipse etiam Aristoteles τῆς φύσεως ἄρȣραν naturæ arvum appellat.

Hoc ex arvo muliebri plantæ cœlestes propullulant, (prout homines cognominantur a Clemente Alexandrino, quia cœlum versus radicem habent) unde Diogenes, cum debitum maritale persolveret, deprehensus, ecquid ageret interrogatus, respondit: ἄνθρωπον φυτεύω, hominem planto: est quippe sinus pudoris instar soli, cui semen fœcundum concreditur, qui postea adolescit in maturam plantam, & Schenckius in schol. part. corp. H. P. 11. sect. 4. c. 13. inquit: uterus, ager sationis humanæ, concipit genituram utriusque parentis, ager hic, quamdiu secunda tempestate gaudet, bene se habent omnia; quam primum vero immitior aura aut inundatio imbris grandioris accedit, intellige hæmorrhagiæ aut fluxus largioris, feracissimus ille naturæ campus corrumpitur, & florum disseminatorum interitus acceleratur.

Deinde quoque Levitic. 18. v. 19. & c. 20. v. 18. quando Deus prohibet accedere ad menstruatem, notat simul castitatem obser-

vandam

vandam in matrimonio. Nam & propria conjuge poteſt quis abuti, inquit Joh. Cocceus, ſi ſcilicet adhibet ad libidinem. Proinde hoc interdicto admonebantur Judæi, matrimonium caſte ac temperanter eſſe colendum, nec tam libidinis explendæ, quam prolis ſuſcipiendæ cauſa accedendum eſſe ad uxorem, item unumquemqve vas ſuum ſervandum in ſanctificatione & honore. Similiter Legislator, Levit. 12. mulierem poſt partum certo tempore immundam judicans, horrorem maritis injicere voluit ex fluore ſanguinis turpisſimi, ne uxoribus eo tempore uterentur, ut & illos honeſtiores redderet, & mulierum infirmitati conſuleret, ne imbecillo adhuc ex partu, & fracto corpore a nimis libidinoſis ac intemperantibus maritis vexarentur.

Sanguinem hunc puerperarum Medici lochia vocant, Scriptura vero modeſte PURGATIONEM Levit. 12. v. 4. 5. 6. & Luc. 2. v. 22. Dum enim hæc patiuntur, purgantur. Hoc vero malum a Deo puerperis eſt impoſitum, ut memores eſſent immundæ conceptionis Pſ. 51. v. 7. ſeu peccati originalis per carnalem generationem propagationis. Ex profunda enim peccati ſcaturigine ſemper ebulliunt vitia, quæ maculis aſpergunt, quicquid alioqui purum erat. Sanguis hic in partu & poſt partum effluens indigitatur Ezech. 16. v. 5. juxta Ludov. Capellum in not. Crit. in h. l. quæ res eſt abominabilis, a cujus aſpectu & contactu natura veluti abhorremus, & ſimul periculoſa. Nam ſi juſto modo non eliminatur, puerperam in præſentiſſimum vitæ periculum præcipitat, regrediendo enim ad cor & pulmones, ſubitanea inde oboritur ſuffocatio.

Mittam hic loqui de characteribus, ſanguinis ſignaculis ſeu linteaminum maculis, ab apertis uteri clauſtris a primo concubitu, quas Textus ſacer nominat VIRGINITATEM Deuter. 22. v. 15. 17. quoniam Anatomici inter ſe non conveniunt, quale illud caſtitatis ſit munimentum.

Quidam enim membranam transverſam albicantem, parietibus vaginæ orbiculatim adhærentem ſtatuunt, quæ in medio piſi majoris habet foramen, ad ovalem figuram accedens: D. Paul. Amman. contra in Irenico p. 125. membranam hanc facilius creditam fuiſſe, quam anatomicè demonſtratum, putat, quia nec ſem-

per, nec in omnibus adeſt, nec, ſi adeſt, naturale quid eſt, prout eleganti hiſtoria hoc declarat Paræus.

Pinæus componi aſſerit ex 4. carunculis myrtiformibus, quas inter ſe IV. carnoſæ membranæ, ſitæ in ſingulis carunculárum interſtitiis, ligent; prædictus Ammannus vero virginitatem potius conſiſtere arbitratur in clauſura, vel adſtrictione & anguſtia naturali, quæ per fibras circulares eundem in modum genitalia muliebria conſtringit, quo podex poſt excretionem fecum, beneficio ſphincteris, in anguſtum quaſi conum corrugat, nec non D. Valleſius dicit: nulla pars eſt in uteri ore aut cervice, quæ virginitatis cuſtodia ſit, & in corruptione pereat, ſed anguſtia tanta & ſymphyſis ſeu coaleſcentia labiorum tanta, ut ſine dilaceratione partium, quæ ſymphyſi coierant, admittere virile membrum non poſſit, quare neceſſe eſt ſanguis effluat.

Talis itaque contextus fibrarum conſtituit clauſtrum virginale, hinc dantur etiam medicamenta adſtringentia ad virginitatem palliandam, & partes virginales corrugandas. Leg. Sennertus l. 4. pract. Med. p. 211.

Cum vero argumenta virginitatis puellarum bina habeantur: anguſtia & ſanguis, impræſentiarum de profuſione ſanguinis hujus ſimus ſolliciti, qui adeo ſancte habebatur Andromachidis Africæ populis, ut illum Regi ſoli delibandum darent. Ex primo itaque conjugii congreſſu (modo ſint tenellæ, juniores ac honeſtæ virgines, quæ non ſtupro vel petulanti manu membris genitalibus vim & injuriam inferendo naturalem illam adſtrictionem perdiderint) cruentatio linteaminum ſequitur, quod confirmat lex Moſaica promulgata Devter. 22. a v. 13. usque ad 22.

Lyranus ſcribit: expoſitores catholici communiter ajunt, quod pater & mater ſponſæ aſſervarint linteum, in quo eorum filia a viro fuerat deflorata, ſub ſigillo avthentico, ut per hoc oſtenderent ſigna virginitatis, ſi vir ejus poſtea velit objicere malitioſe, qvod eam virginem non invenerit, idipſum adhuc obſervant Judæi.

R. Joda meminit, quod in Judæa mos antiquitus obtinuerit, ut bini ſponſis conſtituerentur paranymphi ſocii ſeu amici, alter

alter ſponſo, alter ſponſæ, qui in eodem conclavi quoque pernoctarent ad obſervandum, ne ſponſus ſanguinem virginitatis celet, aut tollat, & ne fraus aliqua in floris virginei teſtimonio committeretur.

Hic ritus quoque obſervatur apud alias nationes, ut apud Hiſpanos, teſte Laur. Jouberto, apud Æthiopes in Barbaria, annotante Everh. Guern. Happelio in deſcr. gen. omn. nat. exot. p. 58. it. apud Mauritanos, referente Joh. Leone in deſcr. Afric. h. v. ſimul atque ſponſus & ſponſa ſolenni apparatu ſponſalium domum ſunt reverſi, obſerato conclavi, dum nuptiale paratur convivium, congrediuntur. Interim annoſa quædam mulier pro foribus expectat, quæ porrectum ſibi a novo marito cruentatum linteolum in mediam convivarum turbam ovans defert, tanquam ruptæ virginitatis opimum ſpolium, vexillum ac ſymbolum, hacque demum lege licet diſcumbere, ac convivari: at ſi forte fortuna genioque ſiniſtro ſolenni illo coitu nihil cruoris per ſponſæ genitalia ſtillaverit, redditur illa parentibus, & inde magnum dedecus accedit, invitata vero turba triſtis & impranſa domum revertitur. Plura leg. apud Severinum Pinæum ac Capivaceium libell. de notis virginit. Fr. Valleſium de Phil. S. c. 25. Roder. a Caſtro de nat. mul. l. 1. c. 3. Albericum Gentilem l. 7. de nupt. c. 9. Paul. Zacchiam in Q. medico-Leg. l. 3. Q. 1.

Primitias has inſulæ Fortunatæ Regibus, & Calicutæ ſacerdotibus offerunt. Denique a Moſe fortaſſe inſtitutum, ut abſtinerent viri a virginibus ac mulieribus toto purgationis tempore Levit. 18. v. 29. ut virginitatis integræ conſervatæ ſigna certius innoteſcerent, juxta Joh. de Mey. in Phyſiol. Sacr. p. 217. Hæc vero vitiata revera eſt irreparabilis, ſicut unda præteriens nunquam redit. Tria enim ſunt, quæ ſemel amiſſa recuperari nequeunt: 1. virginitas violata, 2. verbum prolatum, 3. tempus perditum.

Porro in viris fluxum ſeminis Pagina Sacra appellat FLUOREM CARNIS Levit. 15. v. 2. & 3. quod ex Jarchio ita explicandum eſt: fluxus hic ſeminis vel fluebat tenuis inſtar ſalivæ, & tum dicebatur ſalivare, vel fluebat craſſe ad inſtar albuminis ovi

 putri-

putridi, & tum dicebatur obstruere carnem, quia difficulter effluebat. Phrasis itaque von flußeiter de salivatione intelligitur.

Dein interdum in Sacro Codice σὰρξ ϗ αἷμα caro & sanguis integrum hominem denotat, ut Matth. 16. v. 17. interdum vero CARNIS vocabulo verecunde utitur Scriptura, juxta genium suum, pro membro certo corporis, quod diserte nominari pudor prohibet, unde tractum videtur, quod σὰρξ pro parte hominis irregenita ab Apostolo accipiatur Rom. 7. v. 18. quæ partes concupiscentiæ sedes existunt Leg. Thom. Gatakeri oper. Crit. p. 70. hinc secundum carnem ambulare est pravas corruptæ carnis cupiditates sequi, sicut contrarium est carnem crucifigere Galat. 5. v. 24. (eadem ratione uti & Medici, & rei rusticæ aut veterinariæ Scriptores membra, quæ verecundiæ gratia in hominibus pudenda vocantur, Naturam appellant) nempe usurpatur caro pro pudendo tam virili, ut Genes. 17. v. 11. 13. 14. 23. Exod. 28. v. 42. Levitic. 12. v. 3. Ephes. 2. v. 11. & Coloss. 2. v. 13. vid. Barth. Westhemerus de trop. in sacr. lit. p. 361. quam muliebri, quia membrum est prorsus carneum, ut Levit. 15. v. 19. ubi Pagninus ita: mulier autem, cum fuerit fluens sanguine, & erit fluxus ejus per carnem ejus.

Sic 1. Corinth. 6. v. 16. dicitur: duo in carnem unam redigentur, i. e. carnaliter copulabuntur. Cum enim apud Hebræos caro pro pudendis interdum generaliter accipiatur, ideo phrasis inde fluit: os meum & caro mea, quo de magna cognatione & consanguinitate accipitur Gen. 29. v. 14. Judic. 9. v. 2. 2. Sam. 5. v. 1. & c. 19. v. 12. & 13. arctior vero conjunctio indicatur Gen. 2. v. 32. & Ephes. 5. v. 29. nempe conjugialis.

Denique per abeuntes ad CARNEM ALTERAM verecunde Codex Sacer Sodomitas indicat in Epist. Judæ v. 7. ubi notanter dicitur sequi carnem alienam seu diversam, quæ in alienum finem a Deo est creata & aliter usurpatur, quam debet v. g. ad detestabilem voluptatem, & non instituta est ad liberorum procreationem. Juxta Menochium caro aliena est caro masculi. Nam præpostera cum ea libido est aliena ab instituto & usu naturæ, quia incongrua & inepta est, imo adversa generationi ac pro-

crea-

creationi liberorum; Secundum Joh. Lorinum altera caro significat diversam speciem, ut bruti; abire vero post carnem alteram est libidine nefaria ac præpostera venere se polluere. Qui igitur non volunt esse una caro, eorum copulatio est belluina, inquit Hermann. Witsius in Ægyptiacis l. 2. p. 103. Alii vero per carnem alienam intelligunt, quæ est extra matrimonium, alterique desponsum, qua adulterium & scortum denotatur.

Contra mariti & uxoris CARO non est altera, sed UNA. Sunt quidem duo corpora, sed quasi in unam coalita conjugiali ἑνώσει seu adunitione, ut loquitur Balth. Misnerus in anthropol. Nam copula maritalis e duobus reddit unum, & conjugium est duorum in unam carnem conjunctio, seu agglutinatio Gen. 2. v. 24.

Quemadmodum enim gluten res duas adeo arcte & firmiter conjungit, ut non jam duæ, sed una esse appareat; ita in conjugio firmissima ac indissolubilis debet esse conglutinatio, cum in externa cohabitatione, tum maxime in arctissima animorum conjunctione, & hoc gluten adeo firmum esse debet, ut sint duo in carnem unam h. e. ut sint quasi unus homo, una ψυχὴ καὶ ζωὴ, una anima, una vita, quæ non dirimatur nisi per violentiam mortis, de quo plura infra, unde conjuges divellere est hominem in duas partes dissecare.

Ad quæstionem vero, qvomodo vir & mulier una caro esse dicantur? Respondet Jac. Rauppius in aphor. Bibl. p. 3. 1. propter voluntatis & dilectionis consensum Ephes. 5. v. 29. 2. propter indissolubile vinculum Matth. 19. v. 6. 3. propter individuum vitæ consortium 1. Corinth. 7. v. 10. 4. ob copulæ carnalis officium 1. Corinth. 7. v. 3. & 5. 5. ob conjugalis cohabitationis fructum i. e. liberos, qui utriusque & viri & uxoris communis sunt caro. Leg. Harm. Chemn. Lys. l. 5. P. pr. p. 192. & 194. hinc ex Adami costa Deus fecit Evam, ut vir & fœmina non tam duo, quam unus sint, debeantque unum esse amore & voluntate.

Insuper membrorum genitalium magnitudinem Scriptura concinne appellat MAGNAS CARNES Ezech. 16. v. 26. remque in

2144.

inhonestam honesto verbo significat. Erant enim Ægyptii olim maxime libidinosi, partim propter optimam hujus regionis constitutionem, ab Hippocrate agnitam lib. de aëre aq. & loc. sect. 3. p.71. partim quia erant probe mutonati, seu bene peculiati ac vasati, vid. D. Gerhard. Comm. in h. l. p.240. (Vasa hic testiculos significant ac membrum virile, interprete Fesselio, Münstero, ac Isidoro Clario) consulatur quoque Propheta c. seq. 23. v. 20. Pagninus ita interpretatur: quorum caro ut asinorum est, & ut fluxus equorum fluxus eorum (Rauppius fluxum Seminis in coitu interpretatur) quo indicatur immoderata & insatiabilis libido. Prægrandia namque asinorum sunt genitalia.

Huc pertinet quoque locus Jerem. 5. v. 8. quia effrenis etiam equorum est libido, juxta Aristotelem, inprimis saginatorum seu bene pastorum, secundum Franc. Vatablum, vel saturatorum, ut exponit R. Jacob, aut emissariorum, ut habet Vulgatus, qui admissuræ serviunt, & huc illuc emittuntur ad eos, qui ex equabus suis sobolem expetunt, aut equorum armatorum, ut ait R. David. Armati autem dicuntur equi metaphorice, cum membrum genitale extra vaginam porrectum habent, aut equorum communium, juxta Corn. a Lap. hos Græci omnes vertunt ἕλκοντες i. e. trahentes membra genitalia præ magnitudine, in magnæ libidinis indicium.

Sicut autem mos naturalis ac proprius est horum equorum, ut ad primum odorem libidinis hinnitum edant; sic & homines lascivi cœco impetu ad brutales voluptates feruntur, ideo de adulteris tropice dicitur hinnire Jerem. 5. v. 8. & c. 18. v. 16. tales ζῶα ἄλογα vocat Petrus 2. Ep. 2. v. 12. qualia minime imitemur Ps. 32. v. 9. LXX. habent θηλημανεῖς, insano fœminarum amore captos, quos secutus est Hieron. Leg. Casp. Barthius in adversar. l. 11. p. 541.

Deinceps Hebræi testes quoque OVA vocant, honesta certe & venusta periphrasi, partim a figura oblonga ac rotunda, partim a fine desumta, scilicet generatione.

Unde R. David Kimchi ita: duo sunt evnuchorum genera,

unum,

unum, cui exsecta sunt ova, & hi adhuc capiuntur amore mulierum, alterum vero cui & testes & penis ipse est ablatus.

Neoterici itidem fœminis ovula tribuunt, quæ genitura viri fœcundat spirituoso quodam emisso contagio, quare de Ovario humano hodie in Scholis Medicorum tractantur multa Leg. Regn. de Graaf. de org. gener. mul. & vir. it. Svvamerdammius. Hornius, Bohnius, Ruyschius, Kerckringius Faschius, Th. Warthonus, aliive. Nomen vero testiculorum semel legitur in Bibliis Levit. 21. v. 20. scilicet compressorum, juxta Pagninum, Vulgatus reddidit herniosorum.

Tandem CORPORIS nomine secundum Augustinum non semper totum corpus omnibus membris constans, sed membra saltem, quibus sexus discernitur, concubitusve peragitur, intelligitur, ut 1. Corinth. 7. v. 4. Speciatim vero per MEMBRA significantur pravæ cupiditates inde exorientes Coloss. 3. v. 5. juxta nonnullos per metonymiam subjecti, quia in membris scelera ista se exerunt.

Præterea verecundis solent & tectis verbis uti Hebræi in rebus nuptis ac venereis indicandis. Qvare Sacræ Literæ conjugii opus caste & pudice circumloqvuntur, ac describunt.

Sic UTI MULIERE est congredi cum illa Ecclesiastis 9. v. 9. Contra ABUTI MULIERE est congredi cum ea, cujus usus non a Deo est concessus, ut Judic. 19. v. 25. vid. Sanctes Pagn. unde congressum Scriptura appellat NATURALEM USUM, intellige ad concumbendum. Rom. 1. v. 26. 27. nascitur enim ad prolem mulier.

Item COMMIXTIONEM Esdr. 9. v. 2. juxta Pagn. & Levit. 18. v. 20. juxta Vulg.

Item COGNITIONEM Gen. 4. v. 1. c. 24. v. 16. & 1. Reg. 1. v. 4. quia est opus intimi amoris. Juxta Steph. Menochium in explic. sens. lit. tot. Script. v. 7.

Virgo Hebræis dicitur Almah, quæ vox virginem nubilem, juxta Nic. de Lyra, Comm. in Esa. 7. absconditam, seu viro incognitam significat. Puella autem abscondita dicebatur in lingua Sancta propter secretiorem educationem, antequam conjugio jungeretur.

Dein-

Deinde quia loca ejus pudenda debent esse tecta, qui vero eadem revelat in concubitu, dicitur illam cognoscere, ut expresse dicitur Num. 31. v. 17. hinc factum, ut qui cum muliere congreditur, eam cognoscere dicatur.

Huc refer ritum veterum nuptialem verecundum, quod viris elocatæ non solum de nocte & tectæ domum deductæ; præ pudore ac verecundia, & ne terrore corriperentur: juxta Alfons. Salmeronem vero Prolegom. 11. p. 221. ne sponsus aliquo nævo vel macula sponsæ offensus resiliat a matrimonio conciliando (quo de ritu leg. Joh. Phil. Pfeifferus in antiq. Græc. l. 4. c. 15.

Velum hoc pudici ingenii exemplar est, inquit Carpzovius, Isidorus v. & Zanchius signum subjectionis erga maritos, humilitatis ac reverentiæ, & probat ex Gen. 24. v. 64. 65. & 1. Corinth. 11. v. 7.) sed etiam velatæ in Thalamum Sponso adductæ fuerint, ut patet Gen. 29. v. 4. 23. & 25. & Cantic. 5. v. 7. & hac occasione Jacobum a Labano deceptum quidam existimant, eique pro Rahele Leam in torum collocatum, ut Francisc. Haræus, unde nuptiæ a nubendo nomen accepere. Nubere enim & obnubere priscis velare & operire significabat, annotante Nonio Marcello. Leg. quoque Demsterus, Barnabas Brissonius, Franc. Altomannus de vet. nupt. rit. c. 15. Theod. J. ab Almeloveen in antiq. p. 79. Buxtorf. in ant. Jud. & Hildebrand. in antiq. nupt. Quo tacite potissimum indicarunt, hæc festa debere esse tacita ac secreta.

Silentio involvam velamen illud nuptiale, quod IV. perticis vectibus a IV. viris seu Judæis tenebatur eo tempore, quo sponsus ac sponsa benedictione sacerdotali consecrabantur. Leg. Joël. 2. v. 16. Tentoriolum illud, quod sub caput sponsi sponsæque expanditur, ea hora, qua fit desponsatio, hodie Chuppah vocatur. Tunc autem consummatio matrimonii firma rataque habetur, post illam conjunctionem sub Chuppa factam, e quo cum egrederetur sponsus vestibus pretiosis ornatus, magno cum gaudio excipiebatur ac dicebatur prodire de camera sua. Huc alludit Psalmographus Ps. 19. v. 6. Leg. Eduard. Leigh. Critic. Sacr. V. T. p. 134. & Bened.

Carpzov.

Carpzov. in Diss. Philolog. Theol. de Chuppa Hebr. nec non Joh. Seldenus in uxor. Ebraic. p. 141. & Eliezer. in Pirke.

Omittam verba facere de more casto virginum Hebræarum, quæ foras progredientes faciem velo tegebant, tanquam pudibundæ, quia in facie est sedes verecundiæ, ne suam formam alienis viris prostituant, id quod hodie quoque apud Turcas observatur. exempla vid. Gen. 24. v. 65. & Hist. Susannæ. v. 32. Leg. quoque Plutarchus, Tertullianus lib. de virg. vel. & Joh. Hieron. Sopranes in digresso de re vestiar. Judæor. p. 394.

Tegmen hoc seu peplum rutili seu flammei erat coloris, teste Th. Goodwino de rit. Hebr. l. 6. c. 4. ne virginis pudor proderetur, aut si quid animadverteretur in facie ruboris, is e velo color, non in genis emicare videretur. Dan. Fesselius in nov. Prompt. Bibl. p. 65. ita describit: Aus der Chaldeischen und Syrischen Dollmetscher metaphrasi erscheinet / daß dieser Mantel sey eine dünne und leichte Decke oder Schleyer gewesen / damit die Frauen oder Jungfrauen des Sommers ihre Häupter und Angesichter zu bedecken pflegten / daß sie von der Sonnen nicht verbrand wurden. Juxta Corn. a Lap. peplum gestabant partim honestatis, partim ornatus gratia, ut jam Italicæ fœmellæ faciunt. Hugo de S. Victor. annot. in Gen. peplum hoc adeo tenue fuisse refert, quod mulier potuerit per illud videre alios, ipsa tamen aperte in facie ab aliis videri non potuerit. Mirabile certe fuit pudicitiæ studium in Judæorum gente, qui non tutam fore arbitrabantur pudicitiam, nisi castissime custodiretur domi forisque castratis additis servis.

Morabantur domi virgines in secreto cubiculo, domus ille erat quasi claustrum pudicitiæ. Non solum autem apud Judæos sed etiam Græcos plerosque ac Romanos olim virgines magna cura domi continebantur in propriis cellis virginalibus, quas Græci παρθενῶνας vocant, eratque ea pars gynæconitis (in ædibus enim Hebræorum Orientaliumque populorum distinctæ erant habitationes virorum & fœminarum cum puellis, partem domus, ubi viri degebant, ἀνδρῶν vocabant, & ubi fœminæ separatim habitabant γυναικεῖον L. Esther. 2. v. 3. Gen. 18. v. 1. 3. 6. &c. & c. 31. v. 33. Dieterico autore in antiq. Bibl. Veteres in Solario habebant gynæ-

D cea.

2348.

cea, quæ a frequentia hominum erant remota. Ita Sara ascendisse dicitur ὑπερῷον Tob. 3. v. 12.) idcirco virgines Poëtis appellantur αἱ κατάκλειστοι it. in Sacris 2. Maccab. 3. v. 19. Ejusmodi virginem Ἔγκλειστον hodie monialem vocant.

Olim enim ante nuptias concludebantur, ne prodirem propter verecundiam & pudicitiam virginalem: it. cognominabantur θαλαμευόμεναι, quippe quæ thalamis conclusæ educabantur & domi continebantur arctissima parentum custodia, itaque non solebant in publicum prodire, hinc difficile erat Amnoni faciendi quicquam sorori Thamari, quia virgo erat occulta 2. Sam. 1. v. 2.

Ad hunc morem alludit Ecclesiasticus c. 42. v. 9. h. v. filia patri vigilia est occulta & Hieronymus Hebr. Almah. i. e. absconditam interpretatur per virginem nimia diligentia custoditam.

Similiter Græcum παρθένος virgo denotat absconditam aliquam & ignotam omnibus personam & παρθενεύειν in virginitate custodire. Hic mos adhuc hodie viget in Italia, juxta Ravanellum, & in nonnullis aliis Regionibus, ubi virgines innuptæ usque ad nuptias domi occultantur, ubi non in publicum prospicere, & non nisi velatas in publicum prodire patiuntur, quod etiam apud Turcas observatur, scriptore Petr. Bellonio.

Insuper gynæcea olim obsignabantur, Aristophane teste, ut aditus omnis præcluderetur ac exitus. In adolescentia enim, quum virgines pubescunt, maximas patiuntur tentationes æque ac insidias castitatis, unde tunc maxime indigent custodia parentum. Contra scortum ab Elia in Thisbi vocatur exiens foris, Dinæ instar Gen. 34. v. 1. & 2. Leg. etiam proverb. 7. v. 10, 11, 12. de quo infra plura.

Menochio assertore mulieres quoque olim veste caput tegebant, vultumque velabant modestiæ, reverentiæ ac pudoris causa, ita ut oculi tantum apparerent, vid. Abarbenel in Esa. c. 3. hinc facile cognosci haud poterant, quem morem hodie in Arabia observari testatur Joh. Ludov. de la Cerda: Sic in Tarso urbe fœmellæ velatæ incedebant, ut ne quidem facies aspicientibus pateret, neque in via quicquam earum præter habitum ac vestes oculos incurreret cujusquam, referente Dan. Heinsio in exerc. Sacr. N. T. p. 369.

Sic

Si vero prodibant vel ad cultum divinum, vel ad officia alia necessaria obeunda, honestatis ergo non incedebant absque faciei velamine, & totius corporis pallio, quod mulierum caput usque ad coxas tegebat. Velamen, quô caput tegebant, vocabant peplum, & quo faciem, reticulum, quod contextum erat ex tenuissimo filo aut serico minutis maculis interstinctum, juxta Dietericum, circa oculos duo habebat foramina, unde prospicerent. Hieronymus hæc virginumtegumenta theristra vocat quod ἐν θέρει, h. e. in æstate inprimis, fœminarum corpora protegerent, hujus velaminis mentio fit Genes. 24. v. 65. & c. 38. v. 14.

Imo virgines desponsatæ custodiebantur a parentibus, ne in conspectum fere veniebant sponsi, nisi post primum cum ipso congressum, alias etiam in ipsa sponsi præsentia non nisi velatæ erant, adeoq; non tam de facie quam de fama notæ erant, tum qvoq; cum ad torum ducerentur, velo tegebatur iis caput, in qvo etiam dormiebant, secundo vero a nuptiis die velum eximebatur, & novæ nuptæ retecta facie prodibant, unde dies hic ἀνακαλυπτήριον vocabatur.

Denique sciendum, quod Ebrææ virgines sæpe nuberent maritis, antequam essent nubiles, & sic aliquot adhuc annis in ædibus maritarum viverent secundum virginitatem suam, ut non cum illis consvescerent; quia nondum ad annos maturos pervenerint, hinc etiam eveniebat, ut apud Ebræos virgines fierent viduæ, juxta Maimonidem de conjugio & de illicito congressu.

His prælibatis intelligi potest locus Luc. 2. v. 36. ubi Hanna dicitur a virginitate vixisse cum marito. Et, ut unde digressus sum, redeam, vocabulum COGNOSCERE sumitur non solum pro speculatione mentis, sed pro ipso quoque sensu tactus, ad hoc exemplum Cæsar notitiam habere viri dicit, pro rem & consuetudinem habere cum viro. Sic Luc. 1. v. 34. de Maria Deipara dicitur, quod virum non cognoverit, ἄνδρα ȣ̓ γινώσκω, vir non est cognitus mihi. En honestatem sanctitatemque labii Hebræi rem uxoriam tam caste significantem! Hebræis vero receptissima regula est: quod verba sensus & notitiæ cum affectu & effectu sint intelligenda.

Simeon de Muis in variis Sacris, e variis Rabbinis contextis ita scribit; quod si profanis autoribus quasdam partes earumque

usus, ac venerandum illud concubii pudici secretum propriis vocabulis efferre religio fuit: quid mirum, quod Sacer Textus, dum Adamum cum uxore consuetudinem habuisse significare vult, cognoscendi verbum usurpet? Plura Leg. apud Misandrum in Delic. Biblicis anno 1690. p. 113.

Quidam Judæorum dicunt ideo Scripturam S. usurpare pudicum verbum cognoscere Gen. 4. v. 1. & alibi, pro concumbere, quod congressus fieri debeat animo sobrio beneque constituto, non post pocula aut epulas, quando ratio minus viget. Congressus enim humani instituti instante ebrietate, cum maxima fœtus fiunt jactura, quia inde genituræ principium statim fit vitiosum. Olearius inquit: Genitor ebrius infanticidio est proximus, quid mirum tot epilepticos inde nasci, quid dicam de malo hæreditario? Unde Germani proverbialiter dicunt: der Apffel fället nicht weit vom Stamme. Quare Plutarchus libell. de puer. educat. p. 3. probe monet, quod illi, qui rem habere cum mulieribus prolis gignendæ causa volunt, vini vacui esse debeant, unde Diogenes adolescentem videns dementem dicebat: pater ebrius te genuit. Ebrietas enim est vera furoris imago. Similiter Galenus accusat parentes ebrios, qui epilepsiam aliaque mala liberis multiplicant, tom. 1. de us. part. l. 11. p. 673. Beluina ebriosorum generatio multiplicat stultos ac bestias: de bruta hac libidine Leg. Tob. 6. v. 18.

Quod si Medicos consulimus, epilepsia & ebrietas magnam inter se cognationem habent. Sicut enim in ebrietate fit sanguinis ebullitio, sic quoque in epilepsia adest fermentatio Archei, ut Helmontius loquitur, illiusque tumultuantis furor ac tyrannis contra molestias irritantes in universo masculorum genere. Deinde quoque ipse concubitus a Veteribus Philosophis pro parva quadam epilesiæ specie habitus fuit, sic Diogenes coitum brevem vocabat epilepsiam, ac Medicorum Princeps Hippocrates coitum partem quandam comitialis morbi appellavit propter spirituum conturbationem & jacturam. Multum enim detrimenti & spiritibus & prosapiæ nervorum exinde accedit, juxta Roderic. a Castro de nat. mul. P. I. p. 107. & D. Paul. Amman. in Medic. Crit. p. 542. Epilepsia itaque adhuc silens & quasi dormiens per iras & usum veneris excitari atque in fœtum deduci potest: Venerem

quoque

qvoqve morbo comitiali similem esse ostendit Casp. Barthius in adversar. l. 23. p. 1124. & sophista Abderites apud Clem. Alexandr. l. 2. Pædagog. c. 10. imo hanc quandoque epilepsiam concitare observationes Medicorum attestantur, Galenus l. 14. de us. part. c. 10. inquit venerem spasmum inducere. Sic quoque coitus non convenit lactentibus, ob id Medicorum præceptum est, ut toto lactationis tempore nutrices a congressu venereo abstineant propter insignia fœtus nocumenta, consulatur hic Paul. Zachias in Q. Medico-Leg. tract. III. l. 7. Q. 3.

Audiatur B. Lutherus enarr. in Gen. c. 4. h. v. Cognoscere uxorem est pulcherrima phrasis tantum Hebræorum, non solum ob pudorem & reverentiam, sed etiam ob singularem significationem, quia verbum Jada latius patet, quam apud nos cognoscere. Non solum enim significat speculativam cognitionem, sed sensum etiam & experientiam. Andr. Prücknerus vero in vindic. Bibl. ita: Moses utitur hic metonymia causæ pro effectu. Nam experimentalem thori concubitum exprimit per cognoscere. Hæc tria itaque cognoscere, dormire & ingredi sunt Hebraismi.

INGREDI AD ALIQUAM Phrasis est honesta ac verecunda Spiritui S. consueta, congressum amatorium notans, ast ADIRE MULIEREM EXTRANEAM est scortari cum meretrice leg. proverb. 2. v. 19. & c. 6. v. 29. Tob. 6. v. 22. Ezech. 23. v. 44. Sic ire ad puellam juxta vers. Pagn. extat Amos 2. v. 7. it. Genes. 6. v. 4. c. 16. v. 2. & c. 19. v. 31. & c. 29. v. 30. & c. 30. v. 4. Eadem loquendi formula reperitur juxta interpretationem prædicti autoris, ubi per morem seu viam universæ terræ Rivetus in exerc. in h. l. intelligit congressum viri cum muliere. De introitu Davidis ad Bathsebam leg. Ps. 51. v. 2. & 2. Sam. 11. v. 4. itaque ingredi ad meretricem in Scriptura notat fornicari ac meretricari explicante Joh. C. Dieterico in Ant. Bibl. V. T. p. 308. it. Judic. 16. v. 1. plenissime exprimitur Judic. 15. v. 1. Targum. cubiculum reddidit locum concubitus, est itaque metonymia antecedentis pro consequenti, quando introitus pro concubitu accipitur, pluribus leg. Pfochenius. Græci quoque τὸ βαίνειν, ut Latini inire de animalium coitu usurpant.

DE DORMITIONE vid. Gen. 30. v. 15. Deut. 21. v. 13. & c. 28. v. 30. Levitic. 19. v. 20. & c. 20. v. 11. 12. 13. 2. Sam. 13. v. 11. & 1. Sam. 2. v. 24.

2. v. 24. nec non Gen. 39. v. 7. Sumitur hic consequens pro antecedente. Etenim somnus voluptatis hujus comes existit, scilicet ob jacturam spirituum, sicut ex nimio labore accidit Leg. Schneiderus de nat. somm. l. 2. c. 5. p. 138.

Huc spectat vocab. German. modestum: Beschlaffen/ Judith. 12. v. 12. Num. 5. v. 13. & Gen. 34. v. 7. Dormire enim & una dormire utrumque significat, quæ συγκοιμᾶσθαι & συγκαθεύδειν ut Gen. 39. v. 10. Vulgatus reddit: & ille recusabat stuprum.

Item honestum illud loquendi genus Schwächen Gen. 34. v. 2. Levit. 21. v. 7. Deut. 22. v. 29. Tremellius reddit profanatam, cui stuprum vi est illatum & 2. Sam. 13. v. 14. ubi. Gerundensis dicit, quod omnis coitus violentus vocetur oppressio seu humiliatio scilicet ex honestate Hebræorum leg. Deut. 21. v. 14.

It. RAPERE VIRGINEM est vim inferre vel vi opprimere Genes. 34. v. 2. juxta Vulgat. quod & de Sabinis testatur Poëta: & raptas sine more Sabinas.

Huc pertinet verbum Nothzüchtigen Ezech. 22. v. 2. & formula ita: DARE FOEMINIS FORTITUDINEM SUAM seu robur Proverb. 31. v. 3. quæ phrasis dicitur de scortatoribus, qui scortando vires suas consumunt, ut infra ostendam.

Item den Gurt auflösen Baruch. 6. v. 43. & 44. vid. Fesselii advers. Sacr. l. 2. c. 24. Quondam Zonæ non dabantur puellis, nisi jam viri potentibus, quare ætate minores ἀμίτρες, i. e. cingulum non habentes, appellabant, adultiores vero ac puberes Zonis cinctæ erant, ut sine earum sublatione corpori violentia inferri haud posset.

Nova nupta vero cingebatur olim cingulo ex lana ovis facto, quod vir in lecto solvebat, autore Joh. Bapt. Casalio lib. de profan. Rom. rit. p. 116. quod etiam confirmat Chr. Fr. Paullini in der Zeitkürtzenden erbaulichen Lust P. III. p. 430. h. v. weil die Jungfern ein Gürtel von Schaaff-Wolle umb hatten. Als muste ihnen/ wann sie Bräute waren/ der Bräutigam solchen/ der Jungfer-Göttin Juno zu ehren/ so deßwegen Cinxia hieß/ die erste Nacht im Bette aufflösen/ daher kömpt auch das Zonam solvere, so sagen wir auch von unsern Frauen/ wenn sie ein Kind gebähren/ sie wären entbunden.

Anti-

Antiquitus meretrices solebant funiculos seu lora gestare in sinu & sub veste, quæ in colla injiciebant eorum, quorum se amori teneri profitebantur, ut indicatur in Petronii Satyrico, quo forsan collimat Propheta Baruch de fœminis funibus circumdatis: in textu Græco extat voc. σχοινίον, quod funiculum significat junceum i. e. è junco plexum.

Juncus enim duplicem meritricibus, quæ & schœniculæ dicebantur, olim præbebat usum: 1. ad parandas Zonas, quia hac cingere se solebant, qua præcinctione artem suam profitebantur, ac facilitatem solvendæ Zonæ suæ, ac potius frangendæ ostendebant. Juxta Olympiodorum mulieres Babyloniæ, Veneri dicatæ, habebant περιζώματα seu cingula juncea, quibus pudenda tegere solebant, alias nude incedentes, Zonis his ita vinctis vim fieri non posse iisdem videbatur, ergo Zona nota erat virginitatis, quæ a sponsa prima nocte solebatur.

Th. Goodwinus lib. de rit. Hebr. p. 365. scribit, quod inter commiscendum facile rumperentur funiculi isti juncei, unde fluxit illa phrasiologia: Zonam solvere. Herodotus refert antiquam Babyloniæ fuisse consuetudinem, ut virgines Veneri sacræ venalem gererent virginitatem ad ædem Veneris, in honorem Deorum suorum, simulque peterent ab adventantibus ut Zonam illam junceam virginitatis solvant. Publico enim erat sancitum edicto, ne mulier ulla in matrimonium veniret, nisi antea fuisset stuprata seu violata. Τὰ σχοινία itaque fuerunt cingula, quibus pudenda duntaxat operiebant, & retinacula pudicitiæ, usque dum ab amasio rumperentur, hinc Judith. 9. v. 2. extat: μίτραν λύειν cingulum solvere, seu vulvam aperire, quod idem est ac revelare nuditatem, & quidem in pudorem seu opprobrium, prout verba seq. sonant.

Item Beyliegen CONCUBERE i. e. rem veneream exercere Hist. Susann. v. 37. Gen. 16. v. 4. & c. 30. v. 4. Levit. 18. v. 22. 2. Sam. 11. v. 11. Judic. 11. v. 11. & 12. Deuter. 27. v. 21. Hebraismus congressum vocat jacentiam, quod jacentibus mare & fœmina ordinarie fieri solet.

Hoc ex verbo fluit voc. CONCUBINA, cujus mentio fit 2. Sam. 5. v. 13. & c. 15. v. 16. v. 21. 22. & 1. Reg. 11. v. 3. Hæ vero non

erant

erant olim impura scorta seu meretrices, sed uxores, non quidem præcipuæ ac primariæ, sed secundariæ, q.d. vice-conjuges, juxta Grotium, nec matres familias, sed inferioris ac vilioris conditionis, saltem in thori communionem admissæ, sine arrhis, sine ritibus, quæ tantum propagandæ sobolis gratia quæsitæ fuere: Sic Cetura nunc vocatur Abrahami uxor, Gen. 25. v. 1. nunc ejus concubina 1. Paral. 1. v. 32. Leg. Walther. in Harm. Bibl. p. 140. & Th. Goodwin. de rit. Hebr. p. 483. uxor primaria erat hera, secundaria serva & saltem concubina, ac sub heræ dominio, Gen. 16. v. 8. & 9. uxor primaria accepit a marito scriptum seu instrumentum dotale, concubinæ vero nihil: uxor erat pars familiæ, ac domina, non vero concubina: concubinarum liberi non erant spurii sed legitimi, non autem hæredes bonorum paternorum, ut liberi ac heræ, sed dono mittebantur Gen. 25. v. 5. & 6. Leg. Joh. Mich. Dilherri atrium ling. sanct. Ebr. p. 189.

Ludov. Capellus vero in Crit. Sacr. p. 84. Hebræis proprie concubinam significare putat, quæ non prolis suscipiendæ, sed libidinis potius explendæ gratia legitimæ uxori adjungitur ut individua socia: perinde vere ut hodie Principes interdum puellas loco inferiori natas sibi copulant, quod vocant an die lincke Hand trauen lassen/ & Epictetus, quæ saltem ducitur concubitus ac blauditiarum causa.

Minschev. hanc in sexu fœminino facit distinctionem: uxor dicitur respectu suæ vocationis quasi unxor; in domû enim viri deducta uxore nova apud Romanos, postes ædium mariti oleo injungebantur: mulier respectu sexus dicitur quasi mollior, & fœmina a fœtu.

Denique addam hic relationem de Aristippo Philosopho: hic a quopiam consultus, an uxorem ducere deberet? negavit, & rationem attulit dicens: vel duces deformem, vel formosam, si deformem, habebis ποινὴν i. e. pœnam, si formosam, habebis κοινὴν i. e. multis communem.

Item des Mannes schuldig werden Judic. 11. v. 39.

Item mit einen zu schaffen haben Levit. 18. v. 23.

Item sich zusammen halten Tob. 8. 4.

Item sich beflecken. Nam inquinamentum est scortatio Apoc. 14. v. 4.

14. v. 4. & POLLUERE UXOREM PROXIMI est adulterium committere Ezech. 18, v. 11. & 15. POLLUERE CARNEM Judæ Epist. v. 8. specialiter de Sodomia accipitur Levit. 18. v. 23. 24. & de incestu Ezech. 22. v. 11. juxta Pagn. Hierosolyma civitas quoque polluta vocatur, ratione incolarum, i. e. variis sceleribus inquinata Sophon. 3. v. 1. & Jerem 2. v. 7. nec non cibus pollutus, cujus esus scilicet in lege erat prohibitus Hos. 9. v. 4.

Contra CUBILE IMPOLLUTUM est castum ac purum Hebr. 13. v. 4. ubi in fonte notanter κοίτη ἀμίαντος appellatur, qui est lapis incombustibilis, qui igne purgatur; sic & conjugium debet esse immaculatum.

Item ein Weib Besaamen Levit. 18. v. 20. & c. 12. v. 2. unde semen pro prole & sobole passim occurrit.

Item schånden Judic. 20. v. 5. Gen. 34. v. 5. 13. & 27. Esa. 13. v. 16.

Huc spectat quoque vocab. ILLUDENDI zu Schanden machen Gen. 39. v. 14. Ex Mureto enim notum est illudere seu ludibrio habere turpitudinis notam innuere, itaque idem est ac devirginare, ut cum Petronio loquar. Quo pertinet locus Philip. 3. v. 19. Gloria in dedecore, illa, juxta Lorinum comm. in Ep. Petr. p. 253. significat impetum libidinis, hoc vero pudenda ipsa, quæ flagrant in iis, quorum Deus venter: αἰσχύνη significat pudorem, quem Spiritus S. pudendum seu membrum genitale vocat Deut. 25. v. 11. interdum quoque αἰσχύνη notat stuprum alicui illatum, hinc D. Selneccerus reddit, gloria eorum est ad confusionem & interitum.

Item Arbeiten Judic. 19. v. 25. tam modeste Pandectæ Sacræ exprimunt conjugalem operam.

Item eines seinen Willen thun Hist. Susann. v. 20. & 57.

Paulus complexum conjugalem reverendo vocabulo vocat DEBITAM BENEVOLENTIAM die schuldige Freundschafft 1. Corinth. 7. v. 3. Sicuti Gellius nominat venerandum concubii pudici secretum: in fonte extat: εὔνοια ὀφειλομένη, quæ animnm benevolum ac bene affectuosum, non morosum, denotat, qui ex animo erga conjugem benevolo ac amatorio potius, quam ex libidinis æstu proficiscitur, Syrus explicat: honorem, quem debet. Aliquot Græci Codices habent τὴν ὀφειλομένην τιμὴν, debitum honorem, alii vero reddunt officium conjugale. Benevolentiam vero hanc co-

2356.

gnominat debitam, quia maxime requiritur ad generationem liberorum, tanquam finem conjugii primarium, si modo moderate ac caste utatur, ideo Paphnutius concubitum cum propria uxore castitatem appellat in hist. tripart. l. 2. c. 14. quia justo saltem modo ac tempore est instituendus, ad monitum Ecclesiastis c. 3. v. 5. quæ verba ita reddit Pagninus: est tempus amplexandi, & tempus recedendi ab amplectendo. Si enim impuritas quædam in conjugio esset, non illud Paulus honorabile, nec thorum ejus impollutum vocasset Hebr. 13. v. 4. Plura Leg. apud Joh. Lasicium in Theol. Muscovit.

Græci vero antiquiores cohabitationem viri cum uxore χάριν appellarunt i. e. gratiam, teste Plutarcho, Xenophonte & Suida, vid. Joh. Phil. Pfeifferi antiq. Græc. p. 655. Tob. 3. v. 8. congressus conjugalis exprimitur secundum Baduellum per uxoriam habere consuetudinem.

Moses Exod. 21. v. 10. exprimit DEBITUN CONJUGALE die Eheschuld/ Vulgatus reddit pretium pudicitiæ, ubi inclinat ad dotem, quam solebant sponsi post concubitum uxoribus suis dare. Hellenistæ ὁμιλίαν h. e. conversationem mariti cum uxore, R. Salomon concubitum; ita Sacra Pagina rem parum verecundam verecunde notat, inquit Erasmus. Vocatur autem debitum, quia maritus uxori illud haud denegare debet, unde Hebræa Chald. & LXX. clare habent: victum, vestitum & concubitum ei non minuas.

Dein συνέρχεσθαι in unum eundemque locum CONVENIRE zusammen kommen verecunda periphrasi expressit Apostolus 1. Corinth. 7. v. 5. scilicet ad consuetum debitum conjugale reddendum, accipitur pro consociare seu cohabitare conjugialiter, prout exponit Erasm. Schmidius in versione ac declarat. N. T. It. Pareus & Emserus. Sic amant etiam loqui Latini, ut Ovidius: Conveniunt illas cum voluêre viri. Similiter convenire seu congregare in domum meretricis est scortari cum ipsa Jerem. 5. v. 7. sic Matth. 1. v. 18. extat verbum συνελθεῖν convenire, quod significat rem matrimonii, docente Hieronymo, estque hic ὑποκορισμὸς, ut Græci loquuntur, qua rei turpi nomen honestum prætexitur, seu res inhonesta honesto declaratur verbo.

Par ratio est phrases Scripturæ S. NUDITATEM REVELARE Le-

RE Levit. 18. v. 6. & 8. & c.20. v. 11. 20. 21. quod idem est ac coire, secundum Paulum Fagium & Salmeronem virginitatemque spoliare it. Ezech. 23. v. 10. Sicut amasius libidine satiatus amasiam spoliatam nudam relinquit, hæc vero membra nunquam nuda, sed tecta esse debent, pudoris gratia, quem in finem ipsa natura eadem pilis probe texit. Quicquid igitur Deus & natura vult esse tectum, illud qvoqve honeste tegere debemus. Signum autem effrenæ libidinis est operta membra nudare, vid. Mart. Anton. Delrii Syntagm. tragœd. lat. P. II. p. 7.

Sic Esa. 57. v. 8. juxta Pagn. DISCOOPERIRE TURPITUDINEM dicitur de meretrice impurissima, quæ omni pudore amisso ultro appetit, qui congrediatur cum ipsa. Grotius annotavit Hebræos vocare partes turpitudinem, quæ nudæ dedecent, ideo LXX. ἀσχημοσύνην ponunt, & Paulus 1. Corinth. 12. v. 23. τὰ ἀσχήμονα. interpretes Græci ἀσχήμονες vocant eas partes, quas a pudore nominamus, alii vero quæ inserviunt egestioni, adeoque minus dignitatis præ aliis obtinent: Augustinus inhonesta ea membra dici monet, quæ non habent eam speciem decoris, quam membra, quæ in propatulo sunt locata, & Cicero l. 1. de off. inquit: natura videtur habuisse magnam corporis nostri rationem, easque partes, in quibus est forma & species honesta, posuit in promptu: quæ vero ad naturæ necessitatem aspectum habent deformem, ac turpem, eas contexit ac abdidit.

Et Ezech. 22. v. 10. DISCOOPERIRE VERECUNDIORA PATRIS, juxta Vulgatum, descriptio est incestus, juxta Maldonatum & Prücknerum, qvum filii cum matribus concubuerunt contra legem naturalem & Mosaicam Levit. 18. v. 7. Deuter. 22. v. 30. & c. 27. v. 20. ubi uxor patris apud Hebræos descriptio est novercæ, annotante Ludov. de Dieu in animad. in h. l.

In specie vero per nuditatem pudenda intelliguntur; scilicet per ἀντίφρασιν, quod minime nudari vel nuda conspici debeant, sed tegenda sint ob deformitatem, ideo Deus modestiæ causa cavit Exod. 28. v. 42. ne sacerdos absque subligaculis, quæ obscœna tegerent, ascenderet ad altare, ne ibi indecorum aliquid appareret, hinc nuditas ponitur pro magna deformitate, ut colligitur ex Esa. 47. v. 3. Apocal. 3. v. 18. & c. 16. v. 15. it. Habacuc. 3. v. 15. 16

2358.

obscœnum certe hic quid indicatur, quod ad ignominiam a superbis in captivis & miseris nudari solet. L. Esa. 20. v. 4.

Nuditatem hanc passim Deus minatur Nahum 3. v. 5. it. Mich. 1. v. 11. ubi Ludov. Cappellus in not. Crit. in N. T. p. 79. vertit: migrato in captivitatem nudatis pudendis. Hic enim non raro erat captivorum habitus turpissimus ac visu fœdus: solebant olim victores Barbari vel ad ludibrium, vel ad libidinem hostium captivorum membra, quæ pudor tegit, detegere, quando captivi abducebantur, annotante Calovio in Bibl. ill. ad hanc opprobrii notam fortassis Hanon servis Davidis dimidias vestes usque ad nates præcidit 2. Sam. 10. v. 4. & 5. aut κατ' εὐφημίαν seu honestam appellationem, quia ex omnibus corporis partibus membri genitalis maxime nos pudeat.

Secundum Theologos nuditas est triplex: in statu integritatis nuditas fuit naturalis atque amabilis: 2. in statu corruptionis nuditas est vitiosa & abominabilis: 3. in statu glorificationis erit nuditas gloriosa & admirabilis. Abulensis Episcopus scribit: non habebant vestes primi parentes in paradiso, quia pulchritudo naturalis major erat, quam ornatus in vestibus, & in vita æterna vestes non habebimus, quippe quæ propter peccati turpitudinem, sunt inventæ, cessante autem omni culpa & pœna peccati, cessabit vestis: & Balth. Meisnerus in anthropol. ad Gen. 2. v. 25. ita: erant nudi, & non erubescebant, ratio, quia motus inordinati in membris non erant, sed omnia rationis arbitrio obediebant.

Ad locum vero Gen. 3. v. 6. & 7. scribit: non intelligitur hic nuditas simplex, sed turpis & ignominiosa, non tam nuditas corporis, quam animi. Pudenda autem humana tunc revera pudenda sunt, quum nuda existunt Exod. 20. v. 26. Gen. 9. v. 21. & 22. ubi LXX. vertunt γύμνωσιν h. e. nuditatem. Hermann. von der Hardt in Ephem. Philolog. Chami delictum examinans dicit, fuisse injuriam conjugali thoro parentis sui Noachi illatam, noverca violata, idque ex textu ipso & consueto Scripturæ stylo declarat. Denudari, inquit, honesto styli sacri charactere notare venerem, nuditatemque patris ipsam esse uxorem patris probat ex allegato Levit. 18. v. 6. & seq. ubi nuditas patris fratris & patrui vocatur uxor patris fratris & patrui.

Porro

Porro videre nuditatem vel patris aut fratris notat jura thori conjugalis patris aut fratris usurpare. Injuria itaq; parentis thalamo illata fratres deprehendentes Chamum cum venere, irati in hos pallia conjecère, testimonii loco, & postea patri retulerunt maledicenti.

Hieronymus vero TURPITUDINEM ET CARNEM TURPITUDINIS Leg. Exod. 28. & 42. ubi literalis ratio hujus legis est, ut Sacerdotes essent in lapsibus & casibus improvisis tuti a periculo inhonestatis, si induerent feminalia & operirent carnem nuditatis suæ (alias enim in usualibus vestibus Judæi non utebantur tunc feminalibus seu femoralibus ut hodie, vid. quoque Jerem. 13. v. 26. Ezech. 16. v. 8. & 37. & c. 23. v. 10. & 26. & Deut. 25. v. 11.

His in locis reverenter vocantur membra VERENDA seu PUDENDA Scham/ hinc revelare turpitudinem mulieris est cum ea congredi, sive in matrimonio sit, sive extra illud, sic & membrum virile vocatur veretrum, voce magis verecunda ex Varrone. Nam etiamsi hæ partes per se sint honestæ, quia in perfecta puritate ac sanctitate erant conditæ, adeoque nullius turpitudinis consciæ, eodem modo ac oculi, frons, os & manus generationis membra illis erant non dedecori, sed ornamento, non ignominiosa, sed gloriosa, tunc nihil erat refrenandum, nihil velandum, inquit Beda & Augustinus, quia nulla aderat turpitudo. Omnes enim partes optimæ erant creatæ Genes. 1. v. 31. ergo etiam nullus requirebatur pudor Gen. 2. v. 25.

Quem in locum Andr. Rivetus Exerc. 27. in Gen. ita: Non existimandum est, id primis hominibus accidisse ex defectu judicii, ut in infantibus & amentibus, qui nullo pudore ducuntur ex membrorum nuditate, sed in primis illis hominibus fuit summus candor, puritas & integritas summa, plenaque innocentia: qua fiebat, ut cum omnia eorum membra essent apte composita, nulla prurigine aut libidinis titillatione ducta, essentque illi tam corpore, quam animo purissimi, ad peccatum nullo modo advertentes, nec de eo cogitantes quidem, non fuit unde ipsos puderet sui, vel alicujus corporis partis, pudor igitur postea ex peccati sensu & cognitione ortum habuit, a quo tunc prorsus alieni erant. In pudendis autem pudor præsertim exortus est, quod essent membra procreationis Leg. Mart. Bohemi contempl. hom.

2-36v.

Theol. p. 214. & Joh. de Mey. Physiol. Sacr. p. 29. Nunc vero peccato originali ita fœdati sumus, ut nos invicem nudos non sine pudore, raro etiam sine peccato aspicere possimus. Quare nunc honesto vestitu corpora sunt tegenda, inquit D. Luc. Osiander in Gen. p. 4. Cur vero ex nuditate naturaliter sequatur verecundia, Leg. Cyprianum Serm. de rat. circumcis.

Attamen cum membra genitalia per scelus polluantur, & per eadem meretrix turpia committat, ideo turpitudinis vocabulo jam merito dignantur, item pudenda dicuntur quod iis, autore Meletio lib. de nat. H. importuno loco & tempore detectis pudore afficiamur, rectius, quod illis præcipue uti deceat cum verecundia, seu, juxta Tarnovium, quia sine verecundia aut pudore in hoc corrupto naturæ statu nudari neqveunt: ita Ecclesiastic. 26. v. 11. de muliere ebriosa dicitur, quod non celet turpitudinem i. e. non obtegat ea, quæ tegenda sunt. Nec pudoris enim, nec pudicitiæ memimit. Hanc ob causam a Chaldæis dicuntur ignominia & dedecus, Tremellius fœditatem reddit. it. Deuter. 23. v. 14. Vulgatus quoque vertit fœditates i. e. scortationes juxta Grotium, Targum vero fœditatis nomine non solum intelligit scortationes, sed in genere res quasvis obscœnas. Juris Consulti veteres caste locuti dixerunt: in ipsa turpitudine prehendere.

Sed posset hic quis excipere: omnino 1. Corinth. 12. v. 23. pudenda expresse vocari ἀτιμότερα inhonesta seu ignominiosa. Respondendum ad hoc: non ex naturæ prima institutione ita appellari, sed quia post peccatum in iis maxime regnat concupiscentia; alias sunt honesta, quia ad liberorum procreationem, ac generis nostri propagationem necessaria sunt.

Jeremias FIMBRIAM nominat c. 13. v. 22. Vulgatus verecundiora, horum detectionem Deus pœnæ ac ignominiæ loco minatur v. seq. 26, Nahum. 3. v. 5. & Esa. 3. v. 17. ubi verba hæc: Der HErr wird ihr Geschmeide wegnehmen/ secundum textum Hebr. ita sonant: Dominus pudendum earum denudabit: Vulgatus explicat: Crinem earum nudabit, Grotius nates. Nam vox Hebr. ibidem Græce θύρωμα vertitur i. e. janua, per similitudinem sic appellatur podex. Solebat autem hæc nudatio ignominiæ causa fieri.

Ita

Ita MATRICEM IN OPPROBRIUM PROFANARE juxta Pagninum, Judith. 9. v. 2. idem est ac stuprare. Secundum Baduellum enim profana est commaculare, fœdare ac corrumpere, Græci dicunt λύειν μήτραν solvere matricem: sic quoque Hebr. 13. v. 4. maculatio thori ponitur pro adulterio vel scortatione.

Ast APPROPINQUARE ALICUI, aut TANGERE ALIQUAM idem est ad ACCEDERE ad mulierem Proverb. 6. 19. ubi non omnis attactus v. g. si quis dextra porrecta fœminam exciperet, aut ab ea exciperetur, sed tactus conjugalis intelligitur h. e. συνουσιασμὸς, qui duplex est: licitus & scortatorius.

Proprie de furibus dicitur rem aliquam tangere seu attractare, Gellio teste in noct. att. unde Lucilius eosdem tagaces nominat: metaphorice vero puellam tangere est virginitatem imminuere, quare contra virgo intacta est pura vera ac sincera, virum non experta, & mulier attacta est a marito violata. Hebræis honeste ac modeste loquentibus tangere idem est, quod exercere actum conjugii, si v. g. qui ignem tetigerit, aduritur, sic quoque mulieris tactus quasi contagiosus est: quare Josephus, quia tangere eum volebat uxor Ægyptiaca Gen. 39. v. 12. fugiebat ex manibus ejus, ne paulatim virus libidinis serperet.

Ejusmodi loquendi formula quoque reperitur Levitic. 18. v. 6. & 19. Esa. 8. v. 3. Gen. 20. v. 4. & 6. uti Targum Jonathanis explicans ait: appropinquavit ad verenda ipsius ut pollueret, & c. 26. v. 11. Exod. 19. v. 15. Deuter. 22. v. 14. Ezech. 18. v. 6. juxta Pagn. 1. Corinth. 7. v. 1. Verbum hoc in Sacris literis consuetudinis conjugalis velamen decorum appellat Dan. Fesselius in adversar. Sacr. l. 2. c. 16. Græci habent verbum πελάζειν, unde ἡ ἐμπελάτειρα dicitur meretrix, quia omnibus se adjungit, & corpus corpori admovet.

Sic quoque ADHÆRERE CARNI 2. Petr. 2. v. 10. est libidinis affectus sequi, notatio adulterii hic est & scortationis, explicante Schmidio.

Porro Synecdoche Scripturæ verecunda est 2. Sam. 13. v. 20. ESSE CUM ALIQUA. Vulgatus interpretatus est: concubuit tecum, Vatablus: rem tecum habuit, Græci habent verbum συγγίνεσθαι, συγγίγνομαι enim significat simul sum, conversor & congre-

z1362.

congredior, sic esse apud mulierem est congredi cum ea Genes 39. v. 10.

Item loquendi modus est: FIERI ALICUI i. e. nubere, seu vinculo conjugiali cum aliquo copulari, qualis reperitur Ezech. 16. v. 8. ubi vulgatus ita: & facta es mihi, it. Ruth. 4. v. 13. tulit itaque Boaz Ruth. & Rom. 7. v. 3. γενομένην ἀνδρὶ ἑτέρῳ, si fuerit alteri viro. Ex his patet arcta inter conjuges societas, ut sit alter non solum alteri similis, sed etiam idem.

Similis descriptio concubitus pudens ac suballegorica est Ecclesiastic. 26. v. 15. TELO vel SAGITTÆ CUIVIS PHARETRAM APERIRE juxta Pagn. i. e. unicuique corpus suum prostituere. Scilicet libidinem muliebrem pharetræ, quæ sagittas recipit, comparat, alludens ad membra ipsa arcanæ voluptati condita, eodem fere modo, quo Lucilius libidinem ac conditionem muliebris corporis confert.

Porro Gen. 18. v. 12. opus conjugale modesta periphrasi appellatur VOLUPTAS, scilicet καθ' ἐξοχὴν, hinc voluptati operam dare idem est ac congressum instituere. Referunt enim plerique interpretes ad actum generationis.

Sic qvoqve Joh. 1. v. 13. VOLUNTAS Græc. θέλημα præter linguæ consuetudinem pro carnali ponitur concupiscentia, secundum Joh. Maldonatum Comm. in h. l. Hebræorum imitatione, qui voluntatem omnem appetitum vocant L. Ephes. 2. v. 3.

Sic COHABITARE 1. Petr. 3. v. 7. indigitat verecunde copulam maritalem seu nuptialem cohabitationem, ut Ps. 113. v. 9. Cohabitatio hæc est ejusdem lecti ac tecti, ne vagentur foris aut pernoctent, aut cum alienis consuescant. Vir enim uxori adhærere debet tanquam una caro Ephes. 5. v. 29. Verbum vero συνοικέω, quo Petrus utitur, ad exprimendum officium cohabitationis maritalis cum uxore, est titulus appropriatus conjugi, hinc συνοικῶν conjux vocatur.

Similiter HABITARE SIMUL seu CUM ALIQUA specialiter dicitur de conversatione conjugali Gen. 30. v. 20. 1. Corinth. 7. v. 12. 13.

Porro IN SINUM ALICUJUS PONERE FOEMINAM est alicui in uxorem dare Genes. 6. v. . juxta Pagn.

AMARE

AMARE MULIEREM juxta Petr. Ravanellum in Biblioth. Sacr. p.85. est consvetudinem cum eadem habere in re venerea, exemplum habes Judic. 16. v. 4. 1. Reg. 10. v. 1. & Hos. 3. v. 1. Idem verbum amare occurrit Deut. 21. v. 11. quod Hebræi in Thalmude, Moses Gerundensis & Maimonides aliive σεμνῶς dictum volunt pro concumbere, quod & confirmat sequens vox humiliandi v. 13. quibus assentitur quoque Grotius.

Sic HABERE UXOREM idem est, ac paratam possidere, & usurpatur de conjugali conversatione, tam licita, quam illicita, ut 1. Corinth. 7. v. 2. Matth. 14. v. 4. & c. 22. v. 28.

Sic AMPLECTI apte dicitur de concubitu tam honesto, ut Ecclesiastis 3. v. 5. secundum versionem Pagnini, amplexus qvippe est amoris Symbolum. Sumitur itaque antecedens pro consequente, seu signum pro signato: quam inhonesto, Prov. 5. v. 20. ubi juxta eundem autorem amplecti sinum extraneæ metonymice sumitur pro scortari.

Item EXPANDERE PALLIUM SEU ALAM SUPER ALIQUAM Hebræi exprimunt per modestum viri amplexum Ruth 3. v. 9. explicante Lightfooto. Ala autem erat vestimenti genus, seu potius ejus extremitas & fimbria, & sic dicebatur, quia erat alæ similis. Flacius interpretatur alam expandere, i. e. in conjugium assumere, alii exprimunt per desponsare se alicui in uxorem, vel adjungere sibi aliqvam conjugio, quia conjuges una sub eodem tegumento blande dormiunt, non solum lecticulæ, sed etiam vestium, maxime in regionibus calidis, in quibus vestimentis solis nocturno tempore se contegere solent, Verbo: erat hic in Ruth. modesta matrimonii petitio, explicante Sebast. Schmidio annot. in lib. Ruth, ut sensus sit: expande alam: i. e. desponde me tibi, non hac ipsa hora, sed prout, & qvando libuerit.

Huc spectat locus Ezech. 16. v. 8. Maritus namque expandens alam i. e. oram vestimenti in fœminam apud Hebræos, accipiebat eam hoc signo ac ritu in conjugem. Obumbratio est nomen nuptiale ac signum olim erat conjugii, dum sponsus in nuptialibus sacris tegere solebat sponsæ caput ala vestimenti, obumbratio hac facta sponsa cum facibus ad sponsi domum ducebatur, prout ostendit Casp. Sanctius Comm. in Cantic. Salom.

 Audia-

Audiatur hic Dan. Fesselius in prompt. Bibl. p. 324. Das Jüdische Volck hatte vor Zeiten diesen Gebrauch/ daß wenn sie einander die Ehe zusageten/ der Bräutigam seiner Braut den eusersten Theil seines Kleides/ Mantelß oder Rocks über das Haupt deckete (welches noch heutiges Tages der Rabbi bey den Jüden zu thun pfleget L. Buxtorf. Synag. Jud. p. 478.) wodurch bedeutet ward/ daß sie sein Weib/ und er mit ihr ein Fleisch worden/ und keinem solche Decke/ weil sie beyde lebeten/ auffzudecken vergönnet seyn solte/ auch daß er sie/ so lange sie unter solcher Decke sich keusch und ehrlich halten würde/ in seinen Schutz nehmen/ versorgen/ und friedsam mit ihr leben wolte. Leg. Rabbi Mosen Ben Maimon. Rabbini quidam interpretantur per fornicariam copulam, alii vero per receptionem in honestum matrimonium, quod per avium alas indigitatur, scilicet protectio, qua maritus protegit uxorem. vid. Joh. Adam Osiander Comm. in h. l. Ad Autores vero, qui Ruth hac phrasi concubitum petiisse asserunt, respondet Corn. a Lap. Si petiit, petiit ut actum conjugalem, non ut fornicarium. Tunc enim clandestina matrimonia non erant vetita, quare per consensum mutuum, sive verbis expressum, sive copula carnali indicatum, contrahebatur matrimonium. Si ergo hoc petiit Ruth, non nisi debitum conjugale petiit, ac per illud petiit ipsum conjugium.

Alia vero loquendi formula est Deut. 27. v. 20. aperire fimbriam seu alam patris i. e. rem habere cum noverca, ubi antecedens sumitur per consequente, hinc denudare alicui fimbriam ac calcaneum, est gravissima ignominia aliquem afficere. Leg. Jerem. 13. v. 22. & 26. formula hæc desumta est a fœminis, quibus summum dedecus est denudari inferiora seu detegi pudenda vid. Dav. Glado in regn. diab. myst. T. II. p. 117.

Mos enim erat antiquus ac pœna adulteræ, quæ denudata a viro publice in conspectu omnium ejiciebatur ac repudiabatur, teste Christoph. Castro Comm. in Hos. & Ben. Ar. Montano in Jeram. p. 19. sicut vicissim signum modestiæ ac pudoris est partium harum tegumentum.

Quare pœnæ loco denudationem hanc comminatur Hoseas c. 2. v. 10. & Esaias c. 3. v. 17. ubi juxta Vulgatum & Menochium

CRI-

CRINES NUDARE notat pubem, LXX. habent τὸ αἰσχύνωμα αὐτῶν ignominiam earum, ſic anni pubertatis intelliguntur per germinationem pilorum ſeu lanuginis circa verenda natæ.

Notandus quoque eſt locus Iob. 31. v. 10. Molat alteri uxor mea, & ſub eam incurvent ſe alii, interprete Pagnino, i. e. rem conjugialem exerceant cum illa. Hieronymus ita explicat: ſcortum alterius ſit uxor mea. Nam MOLERE proprie virorum eſt, Sic Lucilius & Horatius inquiunt: non alienas permolere uxores. Actus enim venereus molendi quandam ſpeciem habet, inquit Joh. Druſius l. 5. Obſerv. c. 5. Huic conſentit Aug. Pfeifferus in antiq. Sacr. p. 49. ſcilicet rem obſcœnam Spiritus S. honeſte ac tecte circumſcribit: uxor mea inſtar lapidis molaris inferioris alteri ſuccumbat, & Petrus Comeſtor in Hiſt. Scholaſt. c. 16. ait: molere eſt ſubagitare vel coire. Leg. quoque Schindlerus in Lex. pentagl. p. 698. Joh. Mercerus Comm. in Iob. p. 242. & Jac. Rauppius in aphor. Bibl. 285. unde molere pro coire uſurpatur & Græc. μύλλω ſignificat molo & coeo, ac μυλλὰς ſcortum ſeu meretricem.

Similiter INCURVARE indicat rem obſcœnam, juxta Martialem, & idem eſt ac inclinare apud Plautum. Sic enim exprimitur habitus viri congredientis, ita Eccleſiaſtic. 47. v. 21. de Salomone dicitur: lumbos tuos mulieribus applicaviſti, ut habet D. Sanctes Pagn. Hebræi Veteres molere uſurpant in re obſcœna, annotante Dilherro ac Joh. Druſio in Quæſt. Ebr. I. 2. c. 38. Hieronymus etiam locum illum Thren. 5. v. 13. exponit: Juvenes ad molendum rapuerunt i. e. adoleſcentibus impudice abuſi ſunt. Membrum muliebre appellari poteſt ὑδρομύλη, Metaphora hic eſt a molis ducta, quæ in piſtrinis duæ tunc erant: ſuperior ac inferior, ſcilicet ante inventionem molæ aquariæ & alatæ.

In Judæa namque, deficiente aqua ac vento, qui molas agebat, ſolebant habere molas domeſticas ad molendum frumentum, quas binæ puellæ manibus vertebant, interim cantillabant levandi laboris cauſa, hinc explicari poteſt locus Jerem. 25. v. 10.

Sic interpretes Rabbini moderni ac priſci locum Judic. 16. v. 21. de Simſone ad molam damnato explicant, quod pro ſobole robuſtiſſimorum virorum cum peregrinis mulieribus congredi ſit compulſus, tanquam admiſſarius eqvus. Etenim juxta Horatium:

2366.

fortes creantur fortibus, ideo juxta Rabbinos molere dicitur ab Hebr. malal, terere seu fricare, quod approbat Petrus Trecensis Presbyter, vulgo magister Historiarum dictus.

Joach. Hildebrandus vero in antiq. Script. S. p. 62. potius de captivis intelligit, qui in carcere ad molendum cogebantur, teste Esa. 47. v. 2. aut lapidem cædendum, aut aquam, ut jam ostendam, hauriendam vel de molarum opera servili; vid. Laur. Pignorii & Titi Popmæ de servis Commentarii vel metaphorice ab ipso actu, vel proprie a loco, seu molendino, ubi olim meretrices prostare solebant. Hæ enim apud Hebræos in molis ac pistrinis versabantur, hinc Plautus eas pistorum amicas vocabit.

Duplices vero Judæi habebant molas, vel graviores, quæ a jumentis circumagebantur, vel leviores, quæ ab hominibus. Sicuti vero servorum proprium erat operari in agro, ut patet Luc. 17. v. 7. ita contra ancillarum laborare in pistrino Exod. 11. v. 5.

Apud Orientales quoque usitatum erat captivos adigere ad molituram de die in domo carceris, cum ut captivitas molestior redderetur, tum ut captivi non frustra alimenta absumerent, noctu autem includere in foveam. Mola enim ad ostium foveæ erat collocata. Quapropter molere opus erat ancillarum & extremæ conditionis servitutis signum. (Qui enim antiquitus in molam vel pistrinum detrudebantur, ceu carcere tradebantur.)

Nec non meretrices in viis sedebant Baruch. 6. v. 43. unde prosedæ vocabantur, vel ante lupanaria, vel stabula. Vocabulum enim stabulum significat tam tabernam, seu diversorium publicum, ut Luc. 10. v. 34. (hospitium Vulgatus vocat stabulum & v. 35. hospitem stabularium) quam lupanar, inde enim oritur vocabulum prostibulum, quoniam meretricum stationes ante stabula seu hospitia esse solebant, propter concursum advenarum, quemadmodum tabernæ vinariæ hedera appendi solet, ut loquitur Joh. Maldonatus Comm. in Ezech. p. 416.

Isidorus nominat meretrices has lupas, a rapacitate, quod rapiant ad se miseros, sicut illi cibi, ita hæ libidinis vel quæstus appetentes sint, Jeremias c. 3. v. 2. comparat Arabibus latronibus, qui in solitudine sedent, ut prætereuntes invadant & ad libidinem invitent Leg. Joh. Seldenus in Syntagm. II. de Diis Syris p. 309.

Impo-

Impudicissimæ hæ qvoqve prostabant in biviis, triviis, quadriviis & angiportis, qvo alludit Ezech. 16. v. 25. exemplum prostat Gen. 38. v. 14. Consuetudo hæc non solum erat apud Hebræos, sed etiam apud Romanos & Græcos, unde Proverb. 7. v. 12. dicitur quod meretrix in angulis omnibus insidietur, hinc Chaldæis scortum placuit vocare foras prodeuntem Bara napheκa, qvod meretricum sit foris vagari.

Græcis emphatice meretrix πόρνη vocatur a πέρνημι vendo, quia corpus suum prostituit, ac veluti vendit, juxta Joh. Olearium in Exerc. Philol. p. 325. & πορνίας seu stupra commemorat Paulus 1. Corinth. 7. v. 2.

Huc spectat voc. lat. meretrix, quæ in sacris Luc. 7. v. 37. vocatur peccatrix per antonomasiam. Constans enim omnium Veterum Autorum opinio est, fuisse hanc meretricem, si non vulgo prostitutam, parum tamen caste viventem, vid. Beda in Comm. verum Sacer Codex pro more res minus honestas vocabulo honestiore declarat.

Similiter FORNICATIO derivatur a fornicibus, qui sunt parvæ cellæ fornice supra conclusæ & fuerunt olim tabernacula, ubi scorta habitare, merces vendere, seque corpore suo prostituere solebant, teste Gabr. Albaspinæo de vet. Eccles. rit. p. 474. hinc & fornicariæ sunt dictæ & fornicari est scortari, autore Nic. Perotto in corn. cop. p. 921.

Quanquam Casp. Sanctio comm. in Esa. c. 23. p. 280. MERETRIX non semper aliquid impudicum significet, quia Hebr. Zonah non solum scortum notat, sed fœminam, qvæ honesto labore atque arte quæstum facit, ut sunt hospitæ venditrices, a merendo, quia merent stipendium, Valla teste & Luca de Penna. In prisca lingua Germanica Verhuren idem est ac elocare Vermiethen/ hoc sensu eine Hure dicitur, quæ quæstus causa corpus prostituit, annotante Erasm. Schmidio in N. T. p. 100.

Epicurus quidem Antischenes ac Zeno existimabant cum meretricibus conversari non esse delictum, sed exercitium corporis, ac Demosthenes decebat meretrices ad delicias ac voluptates, concubinas ad servitutes, & uxores ad liberorum generationem esse ordinatas; verum Scriptura S. huic contradicit, quæ meretricem vocat MALAM MULIEREM Proverb. 6. v. 24. juxta explic.

2368.

Symmachi, vocab. a græc. πορνεία non solum scortationem notat, sed omnem venerem contra fas, jura, bonosque mores, ut adulteria, Matth. 5. v. 32. & incestum 1. Corinth. 5. v. 1. Proprie v. ut dictum, meretrix vi vocis græcæ est mercatrix Esa. 33. v. 18. Apocal. 17. & 18. & Jerem. 3. v. 2.

De his diobolaribus fœmellis Baruch. c. 6. v. 43. dicit: quod sint succendentes furfures, juxta Pagn. in Græco Textu extat θυμιῶσαι τὰ πίτυρα. Pytirides autem vocantur parvæ illæ olivæ fractæ, qvæ furfuracei sunt coloris, juxta Vulgatum ossa olivarum, quæ accensa philtri loco ab illis usurpantur, Menochio erant recrementa illa, quæ ex oleis contusis remanent, & sunt quodammodo ejus furfures: ex mente Jacobi Tirini utebantur potius olivis, quam aliarum arborum nucleis, ut clarius testarentur suæ concupiscentiæ flammas, cum nuclei olivarum, utpote magis oleosi ac pingues, vehementius ardeant. Corn. a Lap. refert, quod in Apulia fornaces ardentissimas, in quibus coquitur calx & vitrum, nucleis olivarum tritis accendant. Oleis enim ita abundant, ut inde ignem struant.

Præterea PLANTARE venusta metaphora significat formare Ps. 94. v. 9. & generare, ἄνθρωπος ἄνθρωπον φυτεύει, homo hominem plantat, hac phrasi utebatur Diogenes, autore Laërtio, ideo infantes plantis comparantur educatis in conjugio, tanquam horto domestico Ps. 128. v. 3. & 144. v. 12. ob elegantiam & accretionis magnitudinem.

In specie vero PLANTULIS OLEI partim ob formositatem, partim ob copiositatem, partim ob crescendi facilitatem ac felicitatem. R. David Kimchi addit: quia olea non patitur alterius arboboris insitionem, itaque notat certos ac minime suspectos de adulterino semine liberos. Plura vid. apud D. Röberum t. 3. C. fun. p. 80. &c. aliasque rationes ac comparationes in Jac. Reichmanni geistl. Vorraths-Kammer zu pr. p. 102.

Eodem versiculo quoque Psalmographus mulierem viti emphatice comparat ob lentorem scilicet & flexibilitatem. Sicut enim vitis a vinitore flectitur & huc illucque dirigitur ac affigitur: sic etiam mulier se componere debet ad viri voluntatem. Deinde, instar vitis, suavissimum liquorem fundit, quo maritus

in suis

in suis doloribus ac mœstitia recreatur & exhilaratur, & denique sicut a vite fœcunda dependent uvæ: sic quoque tenelli liberi, aut in utero gestati, aut lactentes pendent ab uberibus matris, Leg. D. Joh. Schmid. in Psalm-pr. p.68.

insuper liberi quoque appellantur GERMINA ET PROPAGINES, metaphora eleganti, petita a stolonibus seu pullis arborum, stipitibus earum adnascentibus, ubi mater arborem repræsentat, inde quoque absque dubio germani unius seminis denominantur. Ita Exod. 1. v. 7. juxta Vulgatum filii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, i. e. instar germinis, sic etiam ex uno Patriarcha plures filii ac nepotes orti fuere, sicut ex unico seminis grano infinita sæpe nascuntur. Quemadmodum vero plantæ sæpe nobiles degenerant in infrugiferas ac ignobiles, item multifloræ in simplices: sic interdum liberi a parentum suorum nobilitate ac quoque religione deflectunt in scelestos ac infames.

ÆDIFICARE DOMUM autem idem est Hebræis ac filiis sexum augere & familiam dilatare, claram reddere, proleque numerosa & omnium rerum copia ac honore beare. Leg. Salmeronem, comm. in Ep. Paul. p. 126. Locutio tropica hic desumta est a domorum erectione, ut Gen. 16. v. 2. LXX. ita: τεκνοποιήσομαι ἐξ ἀυτῆς & c. 30. v. 3. 2. Sam. 7. v. 11. Proverb. 14. v. 1. Deuter. 25. v. 9. Ruth. 4. v. 11. Jerem. 42. v. 10. & Exod. 1. v. 21. ædificavit eis domos i. e. effecit multorum filiorum matres, secundum versionem Joh. de Pinna Comm. in Ecclesiastic. Domum vero fundare, ædificare, ac fulcire tam uxor materque, quam & vir paterque dicitur, prole nimirum suppeditata, qua familia propagatur & adaugetur Leg. Bibl. Calovii illustr. T. 1. p. 321. Agnoscamus uxores nostras ceu ædificium Domini, inquit B. Lutherus in c. 2. Gen. p. 30. quod per eas non solum ædificetur domus per generationem & alia ministeria in œconomia necessaria, sed etiam quod ipsi mariti per eas ædificentur, quibus sunt tanquam nidus & habitatio, ad quam se conferant. Leg. hic Wagenseilius in Sota p. 722.

Secundum Joh. de la Haye comm. in Exod. domus nomine in scriptura non solum habitationis locus, sed & filii, quibus tanquam lapidibus conjunctis domus seu familia constituitur ac crescit,

2370.

ſcit, denotantur. Eadem de cauſa non ſolum filiæ columnæ domus vocantur, uti Aſterius Amaſcenſis Epiſcopus Jairi filiam unicam ἔρεισμα οἰκίας fulcrum paternæ domus dixit; ſed etiam a Polluce filii appellantur στηρίγματα οἴκου ἢ βίου, firmamenta domus aut vitæ. Sunt enim filii ædificium quoddam, in qvo & nomen parentum & facultates remanere ſolent.

Hac proverbiali locutione Judæi dicti ſunt LAPIDES EXCISI EX PETRA hac i. e. ex Abrahami ſtirpe orti Eſa. 51. v. 1. eodem loco & FOSSI dicuntur, ubi ſimile ſumtum eſt a fodinis, & ſervi, qvorum fidei veteres patres familias ſuas ſuosque credebant, domus ſeu familiæ columellæ dicebantur, obſervante Th. Gatakero in Cinno p. 393. inprimis ſervi majores domus, qualis fuit Abrahæ Gen. 24. v. 2. & Potipharis Gen. 39. v. 4. & 6. ideo filii nomen Ebraicum Ben dicitur, quaſi ædificium & ſtructura parentum, quoad generationem & educationem, propterea quod ex ipſorum ſubſtantia quaſi conſtruitur, quodque per filios ædificetur ac conſervetur familia, ita ut filius ædificii & pater fundamenti loco ſeſe habeat, juxta Gerhardum. confer Gatakeri Cinnum p. 315. nec non Andr. Pinto Ramirez ſpicileg. p. 229.

Parentes fabris, aſſimilantur & liberi ædibus: Hebr. Banim. a Banah ædificavit, a quo verbo eſt Bath, filia, Leg. Joh. Druſium in Miſc. loc. it. Sacr. centur. 1. c. 84. & Matth. Flacium in clavi Script. S. p. 25. unde apud Hebræos pater liberis præditus, ædificatus dicitur, contra vero is, qui liberis caret, deſtructus appellatur.

Alio loco Scriptura vocat SUSCITARE SEMEN i. e. inſtaurare poſteritatem aut procreare liberos, ut Gen. 19, v. 32. & 34. & c. 38. v. 8. it. 1. Paralip. 18. v. 11.

Gen. vero 38. v. 9. exprimitur per PONERE vel SUSCIPERE SEMEN a Pagnino i. e. poſteritati præ eſſe gignendis liberis. Per ſemen enim liberos paſſim Sacer Codex intelligit, ut Gen. 15. v. 5. & c. 17. v. 8. & 19. & c. 22. v. 17. c. 26. v. 4. & c. 48. v. 11. it. 2. Sam. 7. v. 12. imo ſatum pro filio profani Scriptores ponunt, hinc ſuſcitare ſemen fratris eſt generare prolem fratri Geneſ. 38. v. 8. & Marc. 12. v. 19.

Deinceps notanda venit formula loquendi Proverb. 5. v. 15. BIBERE AQUAM E FONTIBUS SUIS ſeu ciſterna propria i. e.

ut He-

ut Hebræi exponunt, it. Beda & Hugo: uxore propria contentum esse unice, ex eaque haurire aquam puram, i. e. castam voluptatem matrimonii ac procreationis liberorum, ad sedandos æstus concupiscentiæ. Usus enim uxoris restringuit cupiditatem libidinis, non vero usus meretricis, qui eam magis accendit. LXX. vertunt de vasis suis i. e. voluptatem haurire conjugii castam & puram de uxore sua, quæ sit instar vasis puri, carentis luto fornicationis, Zelotypiæ, morositatis &c. ut Jansenius explicat. Kabvenaki ait: purum, castum, sincerum, non fucatum, nec morosum debere esse conjugam amorem, more aquarum cisternæ, seu fontis limpidi: bibitio vero significat usum veneris decentem in conjugio, quia melius est nubere, quam uri 1. Corinth. 7. v. 2. & 9. hoc ex fonte domestico sitis seu æstus carnalium cupidinum moderate sedari debet, non vero ad putidos cœnososque prostibulorum lacus evagari, explicante ita Geiero in Comm.

Nam contra ex alieno fonte bibere est corpus commiscere cum aliena conjuge, ita honestissimis verbis ac castissimis locutionibus, scripturæ more, conjugii opus & legitima carnalis copula indicatur. Ex his patet, quid sit: per alienum flumen ne transito. Ad hoc significandum olim in nuptiarum solennibus ignem atque aquam adhibere solebant. Igne enim ardor significabatur, quo vir & fœmina in venerem inflammantur, aqua vero usus legitimus conjugii, quem, ad ardorem extinguendum, adhibere licet post nuptias. Id enim interest inter scorti congressum illicitum, & nuptiarum usum: quod hic calorem atque sitim libidinis refrigeret, ille vero magis magisq; accendat, inquit Joh. de la Hay, uterq; sane ardet, sed ignis diversa est natura. Illius enim ignis, ut ita dicam, communis est, ex eorum ignium genere, quos aqua restinguit; hujus vero flamma est sulphurea, ex earum genere, quos aqua non comprimit, sed excitat magis. Deinde quoque & sponsus & sponsa quondam igne & aquam, simplicissima elementa, tanquam purissimarum mentium Symbola tangere jubebantur.

Hebræi CISTERNAM vocant matricem, ut Esa. 51. v. 1. & educti ac geniti PERFORATI h. l. vocantur. Propheta nempe alludit ad consuetudinem terræ Israel, ubi cisternæ ac putei erant vulgares. Saræ uterus lacus quidam aut cisterna vocatur, vel

 caver-

2372:

caverna, LXX. transtulerunt foveam, Symmachus foramen. Hebraice est Makabeth i. e. perforatio, idem membrum muliebre. Habacuc. c. 3. v. 15. LXX. reddiderunt σπήλαιον, cavernam, fossam, antrum, & speluncam tropice scilicet, quia est foramen, uti a Rabbinis passim solet vocari, cisternam hanc gentili sermone Syri cubam nominant, quo dicendi genere Scriptura S. modeste exprimit organa in muliebri sexu, pro concipiendo & excludendo fœtu a natura condita, hoc sensu fœmina valet perforata.

Feminalia vetulæ vero appellari possunt cisternæ sine aquis, juxta Drusii Comm. in Proverb. Ben-Siræ. Nam si quam continebat, ea penitus exhausta est, cum per ætatem infœcunda evaserit, ut loquitur Th. J. ab Ameloveen in antiqv. p. 35.

Tandem Ludov. de Dieu in animadv. in h. l. ita loquitur: Nec tu aliunde quam ex tuo puteo i. e. tua uxore aquas bibes, quæ sitim veneream extinguat, nec tui fontes aliorsum, quam ad tuam uxorem, ad tuum puteum profluant. Leg. Dav. Glado. in dē Gleichn. und Geheimn. des Geistl. Reichs Chr. p. 381. Denique Salomon allegato loco Proverb. 5. v. 16. finem addit, scilicet non alia de causa opus conjugii exerce, nisi ut ex fœcunda hac scaturigine veluti rivuli deriventur foras, qui plateas civitatis tuæ repleant i. e. in bonum publicum effundantur, vid. Jansenius & Rudolph. Baynus in Proverb. Sal. Sicut itaque conjugii honesti finis est sobolis procreatio: ita fornicationis voluptatis saltem excitatio.

Porro per AQUAM FURTIVAM Salomo Proverb. 9. v. 17. voluptates venereas adulteri & stupratoris intelligit. Notanter hic Phocylides adulterium nuptiarum sacrilegium vocat.

In Sacris vero ABOMINATIO vocatur adulterium. Ezech. 22. v. 11. & ABOMINATIONEM FACERE cum uxore alterius, est adulterium committere Levit. 18. v. 20. 26. 27. 29. idem denotatur per INSIDIAS AD DOMUM PROXIMI Job. 31. v. 9. proprie autem & vi vocis dicitur adulter & adultera, quando ille ad alteram, & hæc ad alterum se conferunt, juxta Sextum Pompej. Festum in fragmentis.

Deinde quando Ecclesiasticus c. 26. v. 15. de meretrice dicit: quod de omni aqua bibat, intelligit, quod sine delectu quoslibet admit-

admittat, ergo aquæ vocabulum usurpatur in re amoris. Ita Genes. 49. v. 4. Ruben dicitur effusus sicut aqua, quia non coercuit suos affectus, sed cœco impetu irruit in desiderium explendæ libidinis, sicut aqua effusa diffluit, nec termino suo continetur; contra abstinere ab aqua aliena, idem est ac ab uxore alterius, & aqua furtiva est congressus cum altera. Vocatur autem aqua propter acceptam amabilitatem ex climate Palæstinæ fervidiori, ubi rarissime dabantur vel rivi vel flumina vel fontes, unde mirum non sit alterum sitibundum, æstate inprimis, alteri conclusam surripere frigidam, suamque eadem restinguere sitim, exponente Geiero, Comm. in Proverb. Salom. p. 450.

Furtiva vero dicitur, propter fraudulenta consilia & machinationes, quæ in scortis & adulteriis perpetrantur, furium instar. Celare enim novit sua furta venus, vid. Frantzius de Interpr. S. S. p. 441. deinde quoque mœchi faciunt ut bona uxorum veniant ad alienas, sic expresse Joh. 8. v. 4. adulterium furtum appellatur, quia furtum est uxoris alienæ, ut Iob. 24. v. 16. Classici autem proprie ἐν ἔργῳ φωράω significat in furto deprehendo & αὐτόφωρος in furto deprehensus, habens in manibus τὰ φωρία, quæ furati sunt, postmodum vero quoque ad alia scelera transfertur, in quibus quis deprehenditur, v. g. ad adulterium, quippe quod est furtum maximum, μοιχεύοντες furtivo modo indulgent veneri. Furto namque fieri dicuntur, quæ clancularia ratione peraguntur, sicut & res venerea in abscondito, unde & venus furtiva cognominatur. Leg. Harmon. Ev. Chemn. Lys. l. 4. P. post. p. 105.

Quemadmodum honesta semper publico gaudent; ita scelera secreta sunt, inquit Cæcilius apud Minutum Felicem p. 10. & profani autores probati adulteria aliosve illicitos ac clandestinos concubitus furta nominant, nec non Sacer Codex scortationem Jerem. 3. v. 2. unde Hebr. Ganabh. furatus est & Naaph adulteravit eleganti paronomasia gaudent ex qua cognatio furti & adulterii aliquo modo peti potest. Imo juxta Tarnovium Comm. in Hos. p. 99. adulterium longe gravius est furto. Nulla enim, inquit, est proportio, quando fur decem vel plures florenos homini, præsertim diviti aufert, & quando aliquis conjugi, quam omnibus suis bonis anteponit, cor furatur, eidemque vitium infert. Chryso-

2374.

stomus addit: Gravis quidem res est fur, sed non tam gravis, quam adulter. Ille enim ex paupertate necessitatem prætendere potest, hic vero nulla ipsum cogente necessitate præ dementia sola in peccati voraginem corruit. Deinde vir furando perdit opes suas; at adulter mentem & animam suam, ergo adulterium deterius est furto.

Chr. Fr. Paullini in der Zeitkürtzenden erbaul. Lust P. I. p.303. eleganter loquitur: Eine Hure oder Ehebrecherin ist eine dreyfache Diebin: 1. stiehlet sie die Glieder Christi/und giebet sie in Unehren einem andern/ 1. Corinth. 6. v. 15. 2. Bricht sie das von GOtt geknüpffte Band/ und giebt ihren Leib einen Frembden/ stiehlet also ihren Ehemann das seinige Proverb. 2. v. 17. 3. stiehlet sie ihren Schand-Buhlen Leib und Seele zugleich v. seq. 18. & 19. Furtivum hoc oblectat magis, unde Ovidius:

Quod licet, ingratum est, quod non licet acrius urit.

Magisque desideratur, docente Hieronymo.

Quod rarum charum, vilescit quotidianum:

& Augustinus ait: desiderii prohibiti gratior est fructus, hinc & adulteria dulcia furta a Poëtis dicuntur, & spurius furto genitus, sicut fur homo trium literarum a Plauto cognominatur: sic ejusmodi fures nuptiarum a Phocylide, ac Agathia appellantur noctìcubi & fures flagitii, qui nocturnum furtum committunt. Dulcedo autem ista saltem imaginaria est, qualem ex piris pomisve raptis se in pueritia sua quoque sensisse fatetur Augustinus l. 3. Confess. c. 4. ratio est, quia rei prohibitio appetitum per peccatum depravatum magis incendit. vid. Nic. Perotto in Cornu Cop. p. 474.

Metaphorice quoque AQUA sumitur pro semine viri propter similitudinem Esa. 48. v. 1. respicitur hic ad aquas in calidioribus Palæstinæ locis, quæ licet minus dulces, tamen ob defectum suaves amabilesque videbantur: tropus quoque hic profanis autoribus est solennis, ut fons pro generis principio usurpetur, & id, quod e fonte exhauritur, ad filios applicetur, hoc modo Jacob jure optimo fons cognominari potuit, unde rivi duodecim i. e. ejus filii profluxerunt. Huc spectat locus Ps. 68. v. 27. ubi per fontes Israel intelliguntur Israelitæ juxta Sanctium. Concin-

na

na itaque hic latet metaphora a fontibus petita, qua indicatur a parentibus tanquam fontibus promanare liberos tanquam fœcundos rivulos. Leg. etiam Num. 24. v. 5. 6. 7. ubi agitur de multiplicatione posteritatis. Sicuti vero semina locis humidis inspersa læte crescunt ac augentur, arbores itidem ac plantæ irrigatæ in plurimas radicum fibras ramosque solent erumpere: ita ex familia fœcunditas ac procreatio multorum liberorum. Deinde quemadmodum torrentes extenduntur seu dilatantur, item sicut ab exiguo fonte sæpe rivuli decurrunt, qui magis ac magis aucti tandem altum flumen efficiunt: ita hic populus ab exiguo fonte, unico Patriarcha Iacobo exortus excrevit in multitudinem populorum. Scriptura enim per aquas sæpe significat populos, ut Jerem. 47. v. 2. & Apocal. 17. v. 15. viceversa hortus absque aqua pro sterili sumitur Esa. 1. v. 30.

Præter hæc Joh. Drusius in Ecclesiastic. c. 20. v. 4. utitur termino IMMINUERE VIRGINEM i. e. devirginare, ideo virgo imminuta opponitur integræ ac intactæ. Huc quoque nonnulli referunt IOCARI ut Genes. 26. v. 8. uti Judæorum Doctores in Tanchuma volunt, cum tamen potius verecundus jocus & honestus amplexus conjugalis sit intelligendus, quare Grotius attrectationem liberam explicat.

Ita COLLOQUI seu ALLOQUI, Cantic. 8. v. 8. & Hist. Susann. v. 54. juxta Vulgatum & v. 58. ubi honesto colloquendi verbo res turpis significatur secundum Joh. Maldonatum in Comm. Græci vocant ὁμιλεῖν conversari, seu colloquium vel commercium habere, ὁμιλίαν vero ipsum actum, & specialiter consuetudinem mariti cum uxore aut concubitum, cui suffragatur Augustinus, hic illa verba Danielis: sub qua arbore vidisti eos colloquentes, explicat concumbentes, quia Græce est ὁμιλήσαντας i. e. conversantes, & ita honesta voce ὁμιλίας concubitus designatur.

Item PERFRUI VITA CUM UXORE, Ecclesiastis c. 9. v. 9.

It. ADJUNGERE SIBI MULIEREM ALIENIGENAM Tob. 4. v. 13.

It. LUDERE, Exod. 32. v. 6. 1. Corinth. X. v. 7. LXX παίζειν quod Rabbini & Tertullianus, ac cum eo aliqui ex Sanctis Patribus

2376.

bus per ludum impudicum exponunt ac venereas actiones, vid. Andr. Acoluthus lib. de aq. amar. Zelotyp. p. 402. Venter enim vino ubique repletus ejusmodi fert fructus. Quid, quæso, a largis conviviis & compotationibus ac temulentia prodire aliud potest quam obscœnitas, quam turpitudo venerea & luxuria? quare Veteres hæc tria semper conjunxerunt: edere, bibere, ludere, unde & Germani das Venus-Spiel cognominant: hoc modo quoque Simsonis ludum exponunt nonnulli obscœnum Judic. 16. v. 25. verum absone. Vix enim credibile rem tam turpem in conspectu omnium exercuisse Simsonem, hic heros potius gravissima supplicia perferre, quam rem adeo pudendam committere maluisset.

Gregorius M. l. 1. moral. c. 5. ait: nonnulla sunt vitia, quæ a conviviis separari vix possunt. Pene enim semper epulas comitatur voluptas, unde Scriptura: & sedit populus manducare ac bibere. Ferculorum lautitiæ & conviviorum lætitiæ viam ad impuritatem sternunt. Apud Hebræos lupanaris & gulæ maxima est conjunctio. Sag enim cibum significat, præcipue delicatum, & si hoc nomen invertitur, fit Gas, quod de lupanari in sacris dicitur, ut inde moneamur, ad impura & inhonesta duci, qui ciborum lautitiis innatant, quare gula a quodam fornax scelerum, fodina nequitiæ, alveus vitiorum, philtrumque impuritatis appellatur. Sicut virtutes laboribus, sic etiam vitia voluptatibus procreari solent, inquit Marcus Eremita de lege spirituali. Quidam jocum & ludum ita distingvunt: ut jocus sit in verbis, & ludus in facto, sed frequenter alterum pro altero ponitur. Verbo: uti molere, ita & ludere nequitiæ verbum esse notat Drusius in Quæst. Ebr. Barthius l. 28. ac Laurembergius in Antiquario p. 138. (ast 2. Sam. 2. v. 14. per lusum intelligitur militaris seu Gladiatorius i. e. pugna.)

Sam. Bochartus, in Hierozoico P. I. p. 346. memorat Veteres ebrietatis primam originem referre ad epulas sacrificales, hinc τὸ μεθύειν i. e. inebriari nonnullis ita dictum, quod μετὰ τὸ θύειν i. e. post sacrificia largius potaverint. Convivia olim sacrificiorum erant appendices, etiam in cultu divino, in cultu vero idololatrico erant epulum ac lusus i. e. nefarii concubitus, prout explicat R. Salomo, Iarchi & Tertullianus, his itaque peractis sacrifican-



trificantes convivia inter se instituebant, exempla leg. 1. Sam. 9. v. 12. 13. & 24. 1. Paralip. 17. v. 2. & 3. Judic. 9. v. 27. & Amos 2. v. 8. in his Israelitæ lætari jubebantur coram Domino Deuter. 12. v. 6. & 7. gaudio scilicet pio ac modesto tanquam ipso Deo præsente; ast postmodum excessus factus lætitiarum, adeo ut epulæ hæ sacrificales sæpe in rixas ac cædes, in saltus ac lusus, in temulentiam ac lasciviam desinerent. leg. Exod. 32. v. 6.

Deinceps AFFLIGERE 2. Sam. 13. v. 12. Judic. 19. v. 24. & c. 20. v. 5. & Ezech. 22. v. 10. 11. Andr. Prücknerus usurpat pro constuprare mulierem, scilicet per Synecdochen generis pro specie, it. Deuter. 22. v. 24. ac Thren. 5. v. 11. significat VIOLARE juxta Pagn. i. e. vim pudicitiæ earum inferre, nec non Zachar. 14. v. 2.

Similiter APPREHENDERE JUVENCULAM VIRGINEM Deuter. 22. v. 25. & 28. idem est ac vi opprimere, Græci usurpant verbum βιάζειν, quod significat violentiam & stuprum inferre.

Item VISITARE ALIQUAM est fœcundam reddere 1. Sam. 2. v. 12. quod de terra usurpatur Ps. 65. v. 10. ita passim in Sacris Paginis honestis vocabulis turpis actus exprimitur. Eundem in modum verecundæ sunt hanc in rem Veterum locutiones, etiam apud profanos, qui instinctu naturæ usque adeo περὶ τοῦ γάμου locuti sunt, ut qui τίμιος ἐν πᾶσι esse jubetur Hebr. 13. v. 4.

Præterea quemadmodum IGNARA MARITI virginem denotat illibatam ac innuptam Luc. 1. v. 34.

Ita IN VENTRE HABERE ἐν γαστρὶ ἔχειν significat gravidam esse Matth. 1. v. 18. & 23. & c. 24. v. 19. Apocal. 12. v. 2. Luc. 21. v. 23. 1. Thessal. 5. v. 3. Sic familiare est Græcis Medicinæ Scriptoribus, præsertim Hippocrati, uti ea forma loquendi, in utero habere, pro eo, quod est gravidam esse, sive gestare uterum.

Item VENTRE COMPREHENDERE ἐν γαστρὶ συλλαμβάνεσθαι Luc. 1. v. 31. Hebræi exprimunt per Harah prægnantem esse, ut Gen. 16. v. 11. Esa. 7. v. 14. 1. Sam. 4. v. 19. & 2. Sam. 11. v. 5. quæ vox cognationem habet cum voc. Har, i. e. mons, unde & Græcum ὄρος, quia uterus fœtu gravidus monticuli imaginem quasi repræsentat.

VEN-

VENTRIS vocabulum generale nimis esse, notum est Anatomicis, corpus humanum in tres ventres, seu cavitates insignes, ac veluti regiones dividentibus; quarum prima in capite sensibus, secunda in pectore vitæ & respirationi, tertia in infimo ventre generationi ac nutritioni inservit, vid. Joh. Vesling. in Synt. Anat. p. 2. in specie vero illis uterus ab ἕτερος, quasi alter venter dicitur. Sicut enim primus venter ad individui, ita alter ad speciei facit conservationem. Sic quoque Pandectæ Sacræ urbane vulvam ventrem vocant, ut Num. 25. v. 8. LXX. reddiderunt: διὰ τῆς μήτρας αὐτῆς, Rabbini intelligunt pudendam partem mulieris, quam transfixit Pinehas; imo uterum ipsum. Ventrem Sacer Codex appellat Græc. κοιλίαν ut Matth. 19. v. 12. Luc. 1. v. 15. Actor. 3. v. 2. & Galat. 1. v. 15. (quæ vox Græca generaliter omne medium aut intimum notat leg. Matth. 12. v. 40. & Joh. 7. v. 38. ut & Hebraica Beten 1. Reg. 7. v. 20.

Vulva autem non est obscœnum vocabulum, uti quidem vult Laurentius, homo superstitiose verecundus, dicitur enim quasi valva, juxta Casp. Bartholinum in Inst. Anat. quare Jobus c. 3. v. 10. nominat orificium uteri, seu os vulvæ OSTIUM seu FORES VENTRIS pulchra metaphora. Sic vocabulum Poth significat proprie cardinem ostii, ferramentum cavum januæ affixum 1. Reg. 7. v. 50. tropice vero pudendum muliebre Esa. 3. v. 17. Kimchi inquit esse velut speciem parvæ crumenæ ferreæ, super quam circumagiter cardo januæ. Nic. Perottus in corn. cop. p. 205. ita scribit: Volva seu vulva non significat naturam muliebrem: ut vulgus existimat, sed utriculum, qui in fœminis vesicæ junctus est, a quo uterus dictus: & p. 874. addit: infra alvum, a priore parte est vesica, cui in fœminis est junctus utriculus; quem superius diximus uterum & locos & matricem & vulvam vocari. Realdus Columbus de re anatomica l. 11. c. 16. inquit: sive μήτραν dicas, sive ὑστέραν metricemve uterum aut vulvam, nihil refert, ac Matth. Dresserus de part. H. corp. p. 22. uterum vulvam expresse vocat. Præterea sumitur uterus Ps. 58. v. 4. & 139. v. 13. & Esa. 44. v. 2. & c. 49. v. 1. Latinus exprimit ab incunabulis. In utero enim vitæ nostræ cursum incipimus.

Similiter uterum Sacra Pagina Ps. 139. v. 15. cognominat INFERIORA

RIORA TERRÆ: ſcilicet, aut monitorii loco, juxta interpretes ſacros, de primo noſtro ortu, videlicet terra, unde Nazianzenus homines bis ſepultos vocat, 1. in alvo terræ, 2. in utero matris: aut per metaphoram, comparans cum intimis terræ cavernis, ſeu penetralibus, quippe quorſum nulla acies vel ingenii, vel humanorum corporum penetrare poteſt. In utero enim homines artificioſiſſime a Deo formantur Eccleſiaſtis 11. v. 5. in fonte verbum Racam ſignificat acu pingere & figuras more phrygionico introducere. (Phryges enim primi texturam talem invenerunt.) Sicut enim acupictores imagines variegatas ac figuras tapetibus & veſtibus intexendo nendoque imprimunt; ſic quoque metaphorice de Deo dicitur, quod corpus humanum, tanquam ſpecioſiſſimam animæ veſtem ex variis membris, venis, arteriis, oſſibus, carne, cute, inprimis ſpinalem medullam ex variis nervis tanquam funem argenteum Eccleſiaſtis 12. v. 6. mire compoſuerit.

In eodem quoque verſic. Pſalmographus Regius uterum nominat OCCULTUM, de quo Scriverus im Seelen-Schatz P. IV. p. 321. ita: Die gröſſeſten Künſtler / als Mahler / Bildhauer / Uhrmacher / verbergen ihre Arbeit / und pflegen / wenn ſie an einem öffentlichen Ort dieſelbe verfertigen müſſen / ſich mit Decken und Umhängen zu umbgeben / biß ſie dieſelbe völlig gefertiget haben / alsdenn ſtellen ſie ſelbige iederman zubeſchauen dar; alſo / auff Menſchen Weiſe zu reden / hälts auch unſer GOtt / der Künſtler über alle Künſtler / er bearbeitet den Menſchen im Verborgenen des Mutter-Leibes / und verdecket ſolche ſeine Arbeit dermaſſen / daß kein menſchliches Auge ihm zuſehen / und die ſelbſt / welche die Werckſtadt iſt / es nicht wiſſen kan / wie es damit zugehet / ſie vernimmt und empfindet wohl / daß der groſſe Werckmeiſter in ihr ein groß Werck angefangen hat / wie er aber damit verfähret / das kan ſie nicht begreiffen. Wenn aber nun das lebendige und edle Kunſt-Bild fertig iſt / ſo bringet es ſein Meiſter ans Licht / und ſtellet es allen zur Verwunderung vor / auff eine ſolche Weiſe / darüber / wenn es nicht ſo offt geſchehe / aller menſchlicher Witz erſtaunen würde. (Cor qvoqve vocatur occultum Job. 38. v. 36. juxta B. Lutherum in Gloſſ. marg. ab ab-

Z 7 80.

sconsione & coopertione, seu tegumentorum superinductione, quippe in quo Deus sapientiæ locum assignavit 1. Reg. 3. v. 12.)

Porro UBERA COMPRESSA & CONTUSA sumuntur pro virginitate læsa vel amissa Ezech. 23. v. 3. 8. & 21. Est enim compressio vocabulum venereum. Sicut enim mammæ solidæ ac turgentes indicium sunt illibati floris virginalis. Leg. Ezech. 16. v. 7. Junius vertit ubera tua sororiarant (sororiare enim mammæ dicuntur puellarum, cum primum tumescunt, ut fraterculare est puerorum, juxta Sext. Pomp. Festum l. 17. de verb. vet. signif.) intumescentia vero mammarum signum habetur pubertatis, & consequenter illæsæ adhuc virginitatis: ita laxœ, flaccidæ ac pendulæ, gratam duritiem amissæ, symbolum illius corruptæ, seu fornicationis ad minimum existunt. Nam poma amoris sunt furtiva. Vulgatus vertit mammas fractas. Simulac enim virginitas est amissa, comprimuntur & quodammodo franguntur, vicissim prægnantibus solent ubera fieri, i. e. intumescere ob lactis introitum, unde R. Salomo & R. David locum Ezech. 23. v. 8. & 21. Ægyptii fecerunt ubera pubertatis earum, interpretantur i. e. imptægnaverunt eas.

(Quanquam hæc mammarum laxitas palliative iterum curari, & mollities ac flacciditas corrigi a medicis queat, qua de re vid. Melch. Sebizii spec. Med. Pr. P. III. Sect. I. c. 12.)

Hippocrates ubera flaccida facit signum abortus l. 5. aphor. 37. & Celsus scribit l. 2. c. 8. Mulieri gravidæ, si subito mammæ emarcuerunt, abortus periculum est, hinc Hos. 9. q. 14 dicitur: da illis matricem abortientem & ubera arentia, juxta Schindlerum. Huc facit locus Hos. 2. v. 2. ubi adulterii uberum, juxta versionem Pagnini, Propheta meminit. Nam adulteræ ac meretrices ubera comprimunt, ne gravidæ appareant, exponente ita Joh. Drusio h. l. Joach. Hildebrandus vero in antiquit. Script. S. explicat per obscœnam uberum delectationem, quando meretrices mammas pulchre disponunt, & publice ostendunt, iisdemque amasios invitant.

Signanter scribit Dietericus in Antiq. Bibl. V. T. p. 566. Si fœmellæ ubera obtutui ponunt, exponunt, quid intus gerunt, pruritum habent ipsæ, eundemque provocant, invitantque follibus aeri expositis produnt ignem sese habere intus exsufflandum. Non

loquar

loquar hic de more Judæorum vulgari, qui fascia utebantur pectorali ad puellarum ubera constringenda, ac cohibenda, juxta C. Sanctium & Cornel, a Lap, ne turpitudinem sua magnitudine ingererent. Fasciæ hujus mentio fit Esa. 3. v. 24. vid. Pagninus & Jerem. 2. v. 32. leg. Vulgatus, de qua Martialis:

Fascia crescentes Dominæ compesce papillas.

Papillæ autem in specie exquisitissimi sunt sensus, & quasi centrum nervorum, hinc manibus tractatæ fœmellis afferunt suavem delectationem, ac suctu labiorum infantium dulcem titillationem, hinc intensiori amore nutrices infantes prosequuntur, juxta Hier. Barbatum, Diss. de sangv. & ejus sero p. 42. quare monitum Pythagoræ fuit: ἀπέχȣ κυάμων, fuge fabas. κύαμοι enim interdum quoque papillas notant, quando in pubescentibus tumidiores fiunt, ut Lindano in Medic. Physiol. p. 269.

Sapientissimus Conditor non solum mammas formavit decoras ad amoris casti incitamenta, ut ex earum blanda contrectatione singularis voluptas exoriatur, unde nomen dodim amores & daddim mammæ fere conveniunt, quia sunt sedes amoris, quare locum Proverb. 7. v. 18. Pagninus reddidit: Inebriemur i. e. satiemur amoribus, Vulgatus vere uberibus. Vox enim Hebr. dodim utrumque significat, test. Corn. a Lap. & mammas & amores. Mammæ enim sunt symbola amoris, solentque luxuriosi varia mammarum contrectatione explere suas libidines, unde cubilis mammarum mentio fit Ezech. 23. v. 17. juxta Vulgatum; Sed etiam reliquas partes uterinas fœmellarum tanto delectationis sensu prædidit ad generationis opus continuandum, ne laboriosa ac longiori gestatione, difficili partu, lactatione, & educatione liberorum ab eodem abhorreant, sed ad illud magis incitentur. Non semper autem ubera in Sacris amorem meretricium designant, sed quandoque & castum conjugialem, ut Proverb. 5. v. 19. Secundum Pagninum, ubi ubera ponuntur tanquam amoris sedes vel subjectum ac incitamentum Cantic. 1. v. 2.

1. Thessal. 4. v. 4. quilibet admonetur, Sanctum possidere VAS SUUM i. e. suum corpus, & in specie sua membra, quibus ad ἀκαθαρσίαν homo abuti potest, ubi HONOR significat abstinentiam usumque conjugii moderatum, negotium, & actum i-

 psum,

2382.

psum, vas vero uxorem. Cavendus hic immodicus tum propriæ conjugis usus, tum alienæ, explicante Hieronymo. Sensus itaque Apostoli est: ut quilibet uxore sua pudice ac moderate utatur, non abutatur per affectum concupiscentiæ. Christianos enim decet uxores sancte casteque diligere, non imprudenter, & quasi ferina rabie illas ardere ac perdite amare, quia honorabile connubium, & thorus immaculatus in omnibus. Sic quoque Petronius & Plautus vasculi voce utuntur pro obscœno muliebri: corpus virile etiam VAS vocatur, hinc viri vasati dicuntur.

Muliebre vero VASCULUM INFIRMIUS, quia recipit, non agit, ut 1. Petr. 3. v. 7. vasculi muliebris mentio fit, quod interpretatur D. Thomas mulieris corpus. Σκεῦος enim significat instrumentum, Hebraico vero idiomate omne instrumentũ vas vocari solet: jam vero mulier est adjutorium Gen. 2. v. 18. non tantum in œconomia procuranda ac prole generanda, sed & in pietate exercenda, secundum Andr. Rivetum Exerc. 23. in Gen. p. 99. quod D. Joh. Olearius in univ. Theol. p. 409. ita explicat, juxta fontem, quasi axilium certum & solidum Ps. 27. v. 9. Quemadmodum brachiis aliquem sustentare, ac velut fulcris servare solemus, & quidem ita, ut sit coram eo, i. e. semper adstans præsto sit ad correspondentiam ejus. Vasculum autem hoc cognominatur infirmum, quia mulieres tam animi seu judicii, quam corporis constitutione sunt infirmæ, respectu habito ad viros, qui majorem habent scientiam, & majus corporis & animi robur quam fœmellæ, quia ad subsidium, complacentiam viri, & ad suavitatem magis, quam ad gravitatem sunt conditæ.

Deinde VULVÆ ORBANTIS, juxta Pagninum, i. e. sterilis mentio fit. Hos. 9. v. 14. ac EMORTUÆ MATRICIS Rom. 4. v. 19. i. e. ætatis ac virium ratione ad sobolem generandam ineptæ, quemadmodum metaphorice corpus Abrahæ dicitur emortuum, i. e. effœtum viribus, & ad prolem procreandam inidoneum, quare Esa. 51. v. 1. & 2. PETRA vocatur, eidemque comparatur. Sicut enim a petra arida ac dura ignis potius concussione elicitur, quam aqua: sic ex corpore senili Abrahami ac effœto nulla proles speranda erat naturaliter Gen. 15. v. 2. ex ista petra tamen Esaias l. c. inquit Judæos fuisse excisos i. e. productos per divinam poten-

tiam;

tiam: in fonte Ariri extat, quod notat avacuatum. Nam qui est sine liberis, prole vacuus esse perhibetur, Arar Capello in Comm. in V. T. arborem significat solitariam in medio campo stantem, eamque non virentem, sed aridam, emortuam, atque ramis truncatam, parili modo, ut evnuchus arbori aridæ comparatur. Esa. 66. v. 3. quæ ut nullos fructus, ita ille nullos liberos procreat. Deinde Hebræi familias vocant domos, inde banim, i. e. filios vocant quasi abanim, i. e. lapides, qui ex patre quasi petra excisi sunt. Sicut vero ex lapidicina innumeri exscinduntur lapides; ita ex Abrahamo & Sara innumeri prognati sunt Judæi.

Eundem in modum νέκρωσις seu mortificatio de matrice Saræ dicta sterilitatem donatat, sicut mortuus naturaliter non gignit. Hebræis sterilis dicitur Akarah, i. e. enervata, ubi virtus pariendi est eradicata & quasi mortua, Hebr. 11. v. 11. & 12. Locutio hæc Ebræis est consueta, qui, ubi est ineptitudo naturæ, vel ex frigiditate, vel alio casu, aut impossibilitas procreandæ sobolis ob senium, aut potentia congrediendi vel languet, vel penitus abest, utuntur vocabulo emortui, post annum autem quinquagesimum mulierum fœcunditas quiescit, scilicet hodie, inquit Solinus c. 4. juxta Augustinum corpus quoque emortuum dicitur de viro, qui generare non potest ex vetula, etiamsi possit ex juvencula, exemplo sit Abrahamus, qui in generatione cum Cetura erat fœcundior Gen. 25. v. 1. & 2. hac de re leg. Joh. de Mey in Physiol. Sacr. p. 66. unius nimirum vitium ætatis alterius robore ac vigore vividaque virtute corrigitur & compensatur, inquit Pererius.

Sicuti vero Abrahamus cognominatur Petra, ita Esa. 51. v. 1. Sara appellatur cavum seu CISTERNA propter sterilitatem. Cisterna enim caret aqua viva Jerem. 2. v. 13.

Præterea uterum quoque Pandectæ Sacræ vocant MATREM Esa. 46. v. 3. & c. 49. v. 1. Proinde MATRICEM EFFRINGERE est parere Esa. 66. v. 9. (Sicut enim γεννᾷν proprie est virorum, ita τίκτειν fœminarum) dum vero instante partu fœtus ad orificium uteri angustum & ossium clausutam quasi accedit, viresque puerperæ matris languidæ existunt, frangere uteri cardines quasi fœtus opus habet Exod. 34. v. 19. aut mori: unde Liveleus annot. in V. prior. Prophet. ac minor. ita: sunt puerperii dolores graves,

2344.

ſed in ruptura fœtus, ſi in vulvæ anguſtiis hæſerit, longe acerbiſſimi, hinc primus partus eſt laborioſiſſimus, conſentiente Jeremia c.4. v.31. huc ſpectat locus Job. 39. v. 6. ubi incurvare eſt more parturientis corpus ſuum componere; juxta explicationem vero Ludov. Cappelli in not. crit. in h. l. verbum Palach eſt frangere ſeu dividere in duas partes, ſignificat etiam ſcindere vel findere in fruſtra ſeu partes, ut Pſ. 141. v. 7. findens & diſrumpens in terra, & Job. 16. v. 13. ſcindet renes meos & c. 39. v. 6. infantes ſuos diſcindent, i. e. fiſſa & aperta tandem matrice edent.

Imo ipſum os matricis Miſchbar Hebr. a frangendo denominatur, ſcilicet a frangentibus doloribus, qui tum mulieri pari- enti, tum ipſi fœtui in articulo partus obveniunt, ubi quaſi diffringitur, i. e. cum maxima difficultate aperitur, dum fœtus clauſtra perrumpit.

In partu enim 1. fit diviſio & avulſio fœtus a corpore parientis (quamdiu enim fœtus eſt in utero materno, tamdiu pars corporis materni, certa tamen ratione, habetur, unde & fœtus a Latinis autoribus viſcus matris vocatur) 2. fit diductio quædam partium genitalium ſeu potius laxatio cartilaginei nexus. Leg. Rallius de Gener. animal. p. 363. Harveus exerc. de partu p. 492. &c. Pareus item & Arniſæus.

In ſpecie vero rumpere matricem eſt primogenitum eſſe Exod. 13. v. 2. & 12. Num. 13. v. 12. & c. 18. v. 15. Becor & πρωτότοκος autẽ eſt is, qui vulvam aperit Luc. 2. v. 23. & primus naſcitur, ſive ſequantur plures, ſive nullus, hoc ſenſu Jeſus talis dicitur Matth. 1. v. ult.

Huc ſpectat phraſis Scripturæ uſitata: AB UTERO, complectens & tempus infantis in utero, & ſubſequentes poſt nativitatem reliquos vitæ dies, ut Eſa. 44. v. 2. & c. 49. v. 1. Jerem. 1. v. 5. explicante ita Chemnitio in Harm. Ev. Lyſ. l. 1. p. 94.

Præterea APERIRE UTERUM ET VULVAM eſt mulierem facere fœcundam ac gravidam, ut Gen. 29. v. 31. & c. 30. v. 22. autoro Pagn. ſicut terra aperitur, quando germinat. Apertio hæc ab Hebræis ſpecialiter Deo tribuitur, ut oſtendant fœcunditatem eſſe ſingulare Dei donum. Luc. 1. v. 35. fœcundum facere exprimitur per obumbrare, ubi Theophylactus putat metaphoram hic ductam eſſe ab avibus incubantibus.

Con-

Contra UTERO CLAUSO ESSE significat sterilem Gen. 16. v. 2. vid. C. Sanctius in h. l. in fonte extat Atzar. i. e. occludere, quod usurpatur de medulla in ossibus latente Jerem. 20. v. 9. aut pluvia in nubibus 1. Reg. 8. v. 35. ast 1. Sam. 1. v. 5. & 6. extat Saghar. i. e. arctissime occludere, instar januæ Judic. 3. v. 23. & Gen. 7. v. 16. aut vulneris subtilissime conglutinati, vel sanati. Gen. 2. v. 21.

Hic quæstio se offert ponderosa, quid intelligatur per occlusionem vulvæ domus Abimelech? Gen. 20. v. 18. Resp. interpretes intelligunt plagam fuisse inflictam mulieribus hisce, ut non potuerint eniti prolem maturam, aut quod infæcundæ factæ fuerint, juxta Münsterum, aut omnium mulierum vulvæ clausæ, ne vel concipere, vel parere potuerint, juxta alios. Talis plaga quoque intelligenda Gen. 2. v. 17. ut mulieres nequiverint esse mulieres, sed abortum vel alia partus pericula sustinuerint, aut desperationem enitendi, juxta B. Lutherum comm. in Genesin; D. A. Pfeifferus in Antimelanch. alt. l. 1. p. 237. putat Pharaonem Philistæorum tumore in locis occultis affectum fuisse 1. Sam. 5. v. 6. 9. & 12. & l. 2. p. 662. mulieres quasdam domus Abimelech opinatur suppressione mensium, alias suffocatione uteri vexatas fuisse, gravidas vero partim abortum, partim partum difficilem passas esse. Rivetus Exerc. in h. l. explicat, quod & viri & mulieres inhabiles factæ fuerint ad præstandum conjugale debitum, sicut sæpe fit Dei permissu, ut dæmonis arte ligamine conjuges sæpe fraudentur, ut se mutuo potiri nequeant: & hæc pœna erat justa, quia alienam concupiverat uxorem. In qua sententia quoque est Jac. Rauppius in Aphor. Bibl. p. 10.

Sunt denique qui per ingentem cruciatum in verendis interpretantur: ridicula vero refert Mercerus, Ebræos videlicet tradere, omnia foramina tam virorum, quam mulierum fuisse obstructa. v. g. os ad cibum capiendum, alvum ad excrementa ableganda, imo ad bruta etiam hanc plagam venisse.

Coronidis loco addam annotationem M. Chemnitii in Harm. Ev. l. 1. p. 157. Ebræos scilicet duo habere vocabula misericordiæ: Cheser & Rechem, a posteriori hoc uterus seu matrix nomen habet Leg. Esa. 49. v. 15. Syrus reddit Recham per miserationem, seu dilectionem, quæ quasi in matre ex intimis uteri seu matricis visceri-

bus

2386.

bus procedit: ita sentimus viscera interiora affici in affectibus gravioribus, exempla prostant Gen. 43. v. 30. 1. Reg. 3. v. 26. leg. etiam Hos. 11. v. 8. aqud Græcos vero tria sunt misericordiæ vocabula; ἐλέω οἰκτείρω & σπλαγχνίζεσθαι.

Quod vero attinet evacuationes naturales corporis, Sacer Codex, castitatis observantissimus, vocat PEDES TEGERE Judic. 3. v. 24. Sebast. Münsterus annot. in V. T. pedes tegere, inquit, Hebraismus est, pro mejere, Jonathan ac Chaldæus interpres reddit: necessitatem suam facere, verecunda certe phrasis & digna sancta lingua est de exinanitione vesicæ, renum, & levatione ventris, quare Hebræi tam superstitiosi facti sunt, ut scribant: odit Deus eum, qui mejens apprehendit manu sua membrum.

Rom. 9. v. 21. VASORUM AD DEDECUS PATRATORUM fit mentio, ubi ex mente Ebræorum intelliguntur vasa, quibus vel lotium seu urina, vel sanguis in venæ sectione excipiebatur, prout informamur in Lexic. Aruch p. 82. ita quoque appellatur vas ligneum, ex quo Rex, quando de regno pulsus erat, edebat, ut docent Maimonides & Bartenora in lib. Mischnico de vasis c. 16. §. 1.

Quidam etiam opinantur Eglonem stranguriâ affectum fuisse, quod in vesica exoneranda tam longam moram traheret, & 1. Sam. 24. v. 4. Josephus l. 6. antiq. c. 14. reddit: ad naturæ requisita, LXX. viralis versio ita se habet: εἰς τὸ παρασκευάσασθαι, i. e. ad præparandum, Theodoretus exhibet: εἰς τὸ ἀνασκευάσασθαι, i. e. ad deponendum, intellige onus ani. Aquila: εἰς τὸ ἀποκενῶσαι ad evacuandum, v. g. in latrina, quæ a latendo dicitur, honestatis ergo, cujus mentio fit 2. Reg. 10. v. 27. hinc τὸ ἀποσκευαζόμενον excrementa alvina notat. Qui enim verecundi erant, & exonerationi alvinæ indulgebant, vestibus nudos pedes cruraque tegebant olim, ac flexione illa femorum & crurum vestis terram usque pertingebat.

Etenim non braccas, uti nos, sed longas tunicas Hebræi gestabant, quibus quiescentium pedes tegebantur, itaque honesta periphrasi exoneratio illa describitur per pedes tegere.

Ludov. de Dieu in animadv. in V. T. ita scribit: Viri in Oriente ad parietem non mingunt, Vestes enim ad id non habent apertas, Asiatici nempe vestes gestant talares, & quamvis sub iis habeant quoque femoralia, non tamen ad usum membri virilis

aperta

aperta ſunt, ut Europæis, ſed crumenæ inſtar contrahuntur ac laxantur, quibus laxatis & demiſſis ſubſident viri inſtar mulierum, ut ſub veſtium talarium latebra, quibus pedes teguntur, honeſte lotium reddant, ut teſtatur teſtis oculatus D. Golius. Proinde pedes tegere idem eſt, ac in terram ſe demittere ad neceſſitatem naturæ, ſic & de egerentium geſtu explicat Vatablus, de quo plura habet Joh. Lightfoot in Hor. Hebr. ac Talmud. c. 42.

Quanquam etiam per vocab. INTER PEDES pudenda intelligantur. Etenim antiquiſſimi quoque Ebræorum αἰδοῖα ſeu partes pudendas pedes appellant, ut Exod. 4. v. 25. tetigit pedes, ſic Druſius quoque intelligit id membrum, quo viri ſumus, a quo per circumciſionem aliquid detrahitur (quanquam aliam explicationem habeat Dionyſ. Petavius in Dogm. Theol. tom. 6. l. 16. c. 6.)

Nec non urina AQUA PEDUM in fonte Eſa. 36. v. 12. & 2. Reg. 18. v. 27. honeſto vocabulo appellatur, quia a pudendis exit, hinc Plinius l. 3. Hiſt. Nat. c. 7. aquam per pedes fluentem dixit, ſicut Jerem. 9. v. 1. lacrymæ aqua oculorum vocantur. Devteron. 28. vero v. 57. inter pedes ſignificat modeſte partes genitales muliebres. Infantes enim e medio pedum matrum prodeunt, dum ex utero materno educuntur, & ex ſecundinis ſeu membranis involutis evolvuntur ac excluduntur. Gen. 49. autem v. 10. notat partes generationis viriles: juxta fontem ſonat: inter pedes ejus, ſeu in medio pedum, Synecdochice denotat femur, hinc ſeniores LXX. verterunt ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ è femoribus ejus, quo alluditur ad ſitum genitalium, tanquam generationis inſtrumentorum, ſicut & reddit Hieronymus.

Senſus itaque verborum eſt: ex poſteris, ex ſemine vel ſtirpe ejus, juxta Gesnerum legis peritos continua generatione ac propagatione nunquam in tribu juda defecturos, cui conſentit Gerhardus ac Schmidius in Collegio Biblico. item Eſ. 7. v. 20. (ubi pili pedum a capitis mentique pilis diſtingvuntur) per pedes genitalia intelliguntur, ac per pilos pedum pubes, ut ſenſus ſit: Deus calvabit caput, ac nudabit pubem, i. e. pilos, circa partes obſcœnas has enatos, easdemque veſtientes, docentibus ita Hebræorum Magiſtris, ac ex recentioribus Foreiro, Pineda, ac Emanuele Sa.

Similem in modum Jerem. 2. v. 25. juxta Pagninum: prohibe

2388.

pedem tuum, idem est ac pudenda, scilicet a nuditate. Hebræi namque rem indecoram modesta periphrasi describunt. Nudatione hac Propheta indicat Deum velle revelare & in publicum proferre turpitudinem vel ignominiam. Nudare enim non tantum nudum facere, sed etiam patefacere indicat, ut Ezech. 16. v. 7. 22. & 37. Nam per quod qvis peccat, per idem juste punitur.

Eodem modo Scriptura σεμνῷ λόγῳ pedum apertionem vel divisionem seu divaricationem petulantem scortationem vocat Ezech. 16. v. 25. quippe quæ fit in coitu. Hoc enim proprium est procacissimæ meretricis, scortari cum obviis quibusqve ac libidine in omnes ardere.

Denique Esa. 6. v. 2. dicitur, quod Seraphim duabus alis texerint pedes suos, quod Sanctius & Salomon Glassius in Philol. sacr. p. 216. ita explicat: quasi Seraphim humana forma apparentes præ reverentia Divini Numinis illud membrum obtexerint, quod pedum nomine significari antea dictum est. Figuram depictam vid. in Villalpandi tabulis, delineationi templi Ezech. annexis. Cum enim Seraphini humanam assumerent figuram, modestiæ causa partes illas velabant, qvarum protoplastis jam lapsis obtegendi cura prima ac præcipua fuerat, quasve ab aliorum conspectu cohibendas natura omnes docuit, juxta explicationem Th. Gatakeri l. 2. adversar. miscell. c. 3. ut monerent non solum ipsis gratum esse casti animi habitum, sed etiam Majestati Divinæ nihil indecori objici debere. Vox Regel, quæ pedes significat, pro omni eo, quod a coxis deorsum infra abdomen est, & interdum pro parte usurpatur, quæ pudicis maximæ curæ est, esse velatam. Quapropter tegumentum pedum ac femorum cum alis Angelorum significat eorundem castitatem & puritatem ab omni concupiscentia.

Sic qvoqve juxta Mercerum pedis nomine tota tibia ac femur ab Hebræis complectitur, in qua regione sunt pudenda, unde loquendi illa ratio in Scriptura S. perquam usitata: INFANTES egredientes EX VISCERIBUS Gen. 15. v. 4. & 2. Paralip. 32. v. 21. juxta Pagn. ubi metaphora sumta est a terræ germinibus seu seminibus, annuatim ex agro egredientibus Devt. 14. v. 22. & Gen. 1. v. 12. Viscera autem sumuntur pro utero, in quo conceptio fit.

Item

Item EX FLUMBIS seu EEMORE. Hæc duo enim in sacris paginis promiscue ferme usurpantur ut constat ex Judic. 8. v. 30. & Exod. 1. v. 5. ubi secundum Joh. de la Haye comm. in Exod. femur per metonymiam ponitur pro facultate generativa, ut sensus sit; qui nati sunt ex eo vel mediate, vel immediate. Cur autem nominet animas, & non corpora egressa esse e femore, respondet Hugo Carensis, quia longe major est Deo cura de animabus, quam de corporibus. Expresse enim Sapient. 11. v. ult. vocatur animarum amantissimus. Imo ex lumbis vel femore Hebraismus est, pro ortum ducere, ut Gen. 35. v. 11. & c. 46. v. 26. & c. 49. v. 10. Vulgatus vertit: de femore ejus, i. e. e medio femorum, & Græcus interpres: ex lumbis ac prosapia Judæi, verbo: per synecdochen femur notat genitale membrum, femori vicinum, pudendum viri ac fœminæ, viri quidem Exod. 1. v. 5. mulieris vero Num. 5. v. 21. item 2. Paralip. 6. v. 9. Hebr. 7. v. 5. & 10. ubi femur accipitur pro illis corporis partibus, in quibus generandi & procreandi vis inest.

(Interim discrimen est inter fructum lumborum & fructum ventris. Scriptura semen virile vocat fructum lumborum, fructus vero ventris de mulieribus proprie dicitur, annotante M. Chemnitio in Harm. Ev. l. 1. p. 131. plura hac de loquendi formula L. Georg. Crauseri Phosphorum p. 32.)

Egressio autem e femore indicat nativitatem, ait Hackspanius, hanc ob causam Num. 5. v. 21. inter maledictiones adulteræ sacerdos dicebat: ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur, juxta vulgat. vers. vel pudenda, juxta Maimonidem, cujus verba in Sotah. c. 3. hæc sunt: potatis aquis amaris si rea sit fœmina, pallescunt vultus ejus, oculique protuberant, tumetque venter primo, & dein putrescit femur i. e. pudenda, atque ipsa moritur. Eadem hora, qua illa moritur, moritur & adulter, cujus causa potata est, ubicunque ille est, invadendibus eum pariter tumore ventris & putredine femoris vel pudendorum. Calvinus ita interpretatur: mulier adultera in sterilitate contabescet, si vero est innoxia, fœcunda reddetur. Jac. Rauppius in Aphor Bibl p. 72. casum femoris exponit per vulvam abortivam, Rabbi Hiscuni ita reddit: Cadet femur ejus, i. e. locus

2290.

vulvæ seu matricis ejus corrumpetur, non erit amplius apta ad coitum, ut scilicet per quæ quis peccat, per eadem puniatur, prout dicitur Sap. 11. v. 17. mensura pro mensura.

Sicut vero adulterarum pœna in V. T. fuit aquæ amaræ maledictæ potatio; ita contra adulterarum apud Athenienses fuit raphani majoris in podicem intrusio, & calidi cineris inspersio, quare Aristophanes eosdem latipodices vocat, pœna hæc in adulterio deprehensorum vocabatur ῥαφανίδωσις, de qua leg. Lucianum & Mart. Mylium in hort. Philos. p. 569.

Apud Ægyptios adulterium vi commissum testiculorum exsectione & genitalium abscisione, sine vi vero, narium detruncatione fuit punitum, teste Diodoro Siculo, hinc legem sancivit Salethus Crotoniensis Princeps, nec non Opilius Macrinus Imperator, ut adulterii convicti simul corporibus vivi incenderentur. Sic quoque Virgines Vestales ob pollutam virginitatem vivæ defodiebantur, vid. Rosini Antiq. R. p. 482.

Inter crudelissima quoque supplicia antiqui ignem immittebant obscœnis corporis partibus, hinc titione candenti intruso crudelissime interficiebantur. Consulatur hic Casp. Barthius in adversar. comm. l. 59. c. 16.

Aliam adulterarum pœnam habet Tenzelius in Monatl. Unterred. ao. 1692. p. 547. h. v. in Altem Testament war der Ehebruch den Jüden bey Lebensstraffe verbothen/ weil sie aber keine peinliche Halßgerichte mehr hegen durfften/ so haben sie eine andere Straffe ersonnen; nehmlich sie musten 40. Tage nach einander/ ieden Tag eine halbe Stunde des Winters nackend biß an den Nabel in kalten Wasser/ des Sommers aber auff einen Ameißen-Nest sitzen/ daneben ein gantzes Jahr ohne Hembde gehen / und des Nachts ausser der Thüre schlaffen Leg. Schwarzmayer. l. 1. Miscell. Jur. C. ult. Joh. H. Weyenmajer in Ep. Dom. P. I. p. 1072. addit: im alten Sachsen/ weñ eine Ehefrau die Ehe gebrochẽ/ und Ehebruch begangen hatte/ so wurde sie gezwungen sich selbsten auff zu hencken/ und über ihre Aschen/ da sie verbrand worden/ hångte man den Ehebrecher/ bißweilen samleten sich die Weiber zusammen/ strichen sie mit Ruthen/ schnitten ihnen die Kleider biß an die Gürtel ab/ und zerritzten den gantzen Leib mit kleinen Messern/ damit sich andere für der gleichen Sünden hüten möchten.

Plures

Plures aliarum nationum pœnas adulterii collegit Cornel. a Lap. Comm. in Gen. p. 276. Nonnullæ enim mutilant adulteros naribus, aliæ auribus, aliæ verendis, aliæ publico ludibrio ac supplicio eosdem exponunt.

Ut vero ad femur iterum redeam: nomen hoc in Sacro Codice honeste ponitur pro partibus ad generationem destinatis, explicante Riveto Exerc. in Gen. ut Judith. 9. v. 2. VIRGINIS FEMUR NUDARE juxta Pagn. B. Lutherus vertit zu Schanden machen item FEMORA MULIERIBUS APPLICARE seu INCLINARE Ecclesiastic. 47. v. 21.

Et ut simpliciter ac compendiose dicam, quando infantes ex femore vel lumbis egredi dicuntur, continens sumitur pro contento. Lumbi receptacula sunt partium seminalium, unde vasa spermatica virilia præparantia ab Avicenna vasa lumbaria vocantur, vid. Geierum Comm. in Proverb. c. 23. v. 16. Alii hanc dant rationem, quia in lumbis robur hominis consistit. Schindlerus in Lex. Pentaglott. p. 589. inquit: quia vasa seminaria lumbis sunt vicina. Leg. Franc. Vallesius de Sacr. Philosoph. p. 109. unde os Sacrum, Medicis dictum, Hippocrati vertebra magna, quod basis ac fulcrum sit vertebrarum, nomen accepit, quia receptaculum est uteri & vasorum spermaticorum. Græcis quoque solenne est ἱερὸν appellare, quicquid ingens, præclarum ac nobile haberi volebant, ita magnos pisces sacros vocat Homerus, hinc quia hoc os omnium in spina est maximum, sacro nomine quoque dignatum.

Juxta Westhemerum femur totam partem genitalem complectitur, quod inde posteritas esset futura, (quare Scriptura sæpe femoris appellatione intelligit posteritatem) atque adeo veluti res Sacra haberetur, quod scilicet illic, ut R. Salomo sentit, signum esset fœderis, nempe circumcisionis, qui modus adhuc in Judæa observatur, tradente Aben-Ezra, imo Menochio teste hoc quoque inter Judæos servatur, ut qui jusjurandum exigit, sedeat super manum jurantis. Judæi referunt hoc ad circumcisionem, ac si dicat, qui jurat, tam firmum fore id pactum, quam circumcisionis.

 B. Luthe-

1392.

B. Lutherus enarr. in c. 24. Gen. inquit: magis credo ortum esse ex illo intellectu Patrum, qui a principio statim intellexerunt Salvatorem nascendum esse ex genere humano, ideo ritum hunc jurandi Abrahamus instituit tanquam rem sacratissimam. Dum enim jussit, ut imponeret servus manum subter femur, intellexit promissionem in semine tuo Gen. 12. v. 3. c. 18. v. 18. & c. 22. v. 17. quod ex femore i. e. ex semine Abrahami Salvator mundi futurus esset, Galat. 3. v. 8. & 16. ideo femur suum habuit pro re sacra, quia erat fons & origo, unde oriturum erat semen, quod vivificaret & justificaret universum genus humanum. Ritum hunc postea Jacobus imitatus est Gen. 47. v. 29.

Antiqui statuebant in renibus fœcunditatem, adeoque in regione lumbari, e quibus prorumpere sibi persvadebant semen, unde & posteri dicuntur tam e lumbis, qvam femoribus. (confunduntur enim hæc duo vocabula, ubi de generatione sermo est,) esse prognati, Leg. 1. Reg. 8. v. 19. & Actor. 2. v. 30.

Theod. J. ab Ameloveen in specim. antiquit. e Sacris profanarum p. 63. vult Deum in Lucta Jacobi, dum femur paulo durius attigerit, ut loxaverit, voluisse eidem ac semini ejus confirmare fœdus cum Abrahamo ictum Gen. 15. v. 18. &c. & Isaaco c. 26. v. 4. unde & partem hanc quasi sacram habentes Israëlitas ab esu rejecisse Gen. 32. v. 32. Isaacus Causabonus ait: dupliciter apud Rabbinos accipitur, latius & angustius, scilicet pro ea corporis parte, quæ V. inferiores spinæ vertebras complectitur: hanc Veteres libidinis sedem agnoverunt, ipsique adeo lumbi a libidine sunt denominati, (Veteres enim lubidinem ac libidinem dixere juxta Perottum.)

Ideo multi moraliter per CINCTURAM LUMBORUN Exod. 12. v. 11. puritatem & castitatem indigitari asserunt, ut Gregorius M. in typum, quod accessuris ad agnum evcharisticum omnis libido coercenda & intemperantia frenanda sit, exponente sic Greg. Nazianzeno, dum, inquit, tibi per zonam ac temperantiam restringatur pars illa, quæ libidine æstuat, ita fiet, ut morificatis membris Pascha pure comedas. Huc quoque nonnulli referunt cincturam lumborum Johannis Zona pellicea Matth. 3. v. 4. item verba Job. 38. v. 3. accinge sicut vir lumbos tuos i. e. resiste

siste cupiditatibus, eas demque refrena, hinc Ebræorum proverbium: lumbos cingere idem est, ac libidines domare & castitatem servare. Quod & innuit Salomo Prov. 31. v. 17. & Petrus 1. Epist. 1. v. 13. quam dicendi formulam imitati sunt Poëtæ, ita Ovidius: lateri vires dare, idem est ac imflammare ad voluptatem: & contra juvenali lateri parcere, est in amore sibi temperare.

Sic Ezech. 9. v. 2. gestabat angelus atramentarium Scriptoris ad renes ejus, juxta Pagn. LXX. vero legunt super lumbos ejus, quo significatur: ad castitatem necessariam esse succinctionem ac pressuram carnis. Linea enim & angelica puritatis tunica non nisi cingulo mortificationis constringitur, pœnitentiaq; aptatur, exponente ita Nierembergio, e Soc. Iesu in instit. spirit. Pandect. p. 376. item Dan. 10. v. 5. Propheta vidit Gabrielem, cujus lumbi auro erant succincti. Nam juxta Bonaventuram castitas debet habere cincturam pretiosam.

Denique Gen. 24. v. 3. & 9. legimus, quod jurarint Veteres manu sub femore posita. Hæc fuit externa ceremonia juramento addita, sicut hodie solemus digitos elevare, juxta D. Luc. Osiandrum, morem hunc adhuc in India suo tempore obtinuisse, testis est Aben-Esra. Leg. Thom. Goodwinus de rit. Hebr. l. 6. c. 6. & Calovius in Bibl. ill. t. 1. p. 293. Nimirum inferior seu obstringens se manum femori superioris subjiciebat, hinc Emanuel Sa putat, eo ritu fuisse significatam subjectionem ab eo, qui sic manum imponebat, itaque solitum fieri a servis atque filiis.

Similem in modum Hebræi RENUM nomine interiores hominis affectus ac venereas cupiditates indicant in Scriptura, ac Physici dicunt: renes lumbis adhærentes esse libidinis instrumenta. Incalescentibus namque lumbis incalescunt renes, his calefactis affluit major copia sanguinis cum ad ipsos, tum ad partes genitales, unde his surgentibus prurientibusque subnascuntur cogitationes ac concupiscentiæ venereæ, unde Levit. 3. v. 10. & 11. renes cum reticulo jecoris cremari jubentur, ut significetur: Concupiscentias nostras carnales igne Spiritus S. mortificandas esse. Hinc Deus vocatur SCRUTATOR RENUM i. e. intimarum cogitationum & affectuum reconditorum ac propensionum juxta Cocceum. Renes enim in Scriptura significant partem hominis

occul-

occultiſſimam, ſecundum Sebaſt. Schmid. in Coll. Bibl. prior. p. 216. quia, ut Anatomicis notum, adipe multo tecti & circumfuſi latent, ergo renes non ſolum ſymbolum ſunt affectuum & concupiſcentiæ, ſed etiam generationis ac propaginis, propter cauſas datas vid. Pſ. 7. v. 10. & 26. v. 2. & 139. v. 13. Jerem. 11. v. 20. & c. 17. v. 10. & c. 20. v. 12. & Apocal. 2. v. 23. Plura hac de materia Leg. Joh. Lorinum Comm. in Sapient. libr. p. 16. it. Wolfg. Franzium de Interpr. Script. S. p. 859. &c. De caſtigatione vero vel eruditione renum Dan. Cramerum in Schol. Proph. p. 77.

Sic quoque liberi metaphorice Deuter. 28. v. 4. & 18. FRUCTUS VENTRIS vocantur, quorum arbores ſunt parentes Pſ. 127. v. 3. & 132. v. 11. Eſa. 13. v. 18. Luc. 1. v. 42. l. 4. Eſdr. c. 10. v. 12. & Sap. 4. v. 5. non vero tantum fructus matrum, ſed etiam patrum. Hebræi enim & Græci id fructum vocant, quod ex ejus, cujus fructus eſt, v. g. arboris corpore tanquam ex materia oritur.

Porro liberi PARENTUM SUORUM SANGUIS dicuntur Joh. 1. v. 13. & Actor. 17. v. 26. Ex ſanguine enim i. e. ſemine ſunt nati, unde & cognati vocari ſolent conſanguinei i. e. eodem ſanguine orti, Græcis σύναιμοι. Licet enim ſanguis ac ſemen diverſas res ſignificent, eadem tamen pro æquipollentibus habentur.

Item LUCERNA PARENTUM 1. Reg. 11. v. 36. & 2. Reg. 8. v. 10. & 2. Paralip. 21. v. 7. quia nomine & fama parentum ſplendent, adeoque non interire ſinunt illorum memoriam Leg. Alfonſus Salmeron Prolegom. XIV. p. 278.

Item STIRPS UTERI Eſa. 48. v. 19. juxta Hug. Grotium.

Item SCINTILLA ſeu PRUNA PARENTUM 2. Sam. 14. v. 7. Sicut enim conſumto igne relinquitur ſcintilla ſub cinere, quæ ignis veſtigia adhuc paululum fovet & conſervat, quia eſt quaſi ſemen ignis: ſic filius unigenitus vel ultimus parentis nomen & effigiem ſervat, propagatque ejus familiæ poſteritatem.

Deinceps, ut ulterius progrediar, uſitato Scripturæ euphemiſmo ſeſſilis illa pars corporis inteſtinalis Matth. 15. v. 17. vocatur der natürliche Gang / qua ſcilicet excrementa alvina ejiciuntur. In fonte ejici dicuntur per ſellam, ſeu ſedem: ἀφεδρὼν enim

ab ἕδρα denominatur, quæ Græcis non tantum ſella dicitur, quæ honoris cauſa alicui collocatur; ſed etiam Medicis ſignificat inferiorem meatum ventris, continendis & transmittendis excrementis deſtinatum, & ἀφεδρὼν ſeceſſus Græcis a ſeorſim ſedendo appellatur, alio quoque nomine ἄφοδος, quaſi diverticulum, hinc SEDERE eſt ventrem exonerare Deuter. 23. v. 13. Maſorethæ reddunt: egeſta & ejecta ſua.

A FORAMINIBUS hhor enim ſeu chor Chaldæis ſignificat foramen, ex foraminibus vero ſeu ex annulo podicis excrementa eliminantur, inde in margine ipſius contextus eſt vocabulum, quod Hebræis cum pudore deſignat egeſta ſua, juxta Sebaſt. Münſterum & Franciſc. Forerium. Fortaſſis hic alludit Propheta ad latrinas publicas, quæ tum fuêre apud Judæos, ſicut etiamnum hodie ſunt apud Mahumedanos, de quibus vid. Joh. Leonem in Feſſæ urbis deſcriptione. Certum ex Orientalibus pene omnibus, imo & cæteris nationibus uſitatum eſſe obſcænam nomenclaturam convertere in εὐφημίαν, obſervante Joh. Henr. Hottingero in Smegm. Orient. p. 156. ita Arabes locum ſecretum appellant domum aquæ, quæ ibi ad manum, ad mundandum corpus, unde Latinum latrina a lavando dictum volunt: Imo Hebræi ex mandato divino locum habebant extra caſtra, ad requiſita naturæ operienda Deuter. 23. v. 11. & 12. honeſtatis gratia. Munditiei enim tam internæ quam externæ amator eſt Deus, qui eſt fons omnis puritatis, ſpiritusque puriſſimus.

Excrementa vero animalium v. 9. columbarum appellantur Miſt 2. Reg. 6. v. 25. Sicut hominum Menſchen-Miſt Ezech. 4. v. 12. & 15. Eſa. 36. v. 12. 2. Reg. 18. v. 27. urbane quoque excrementa vocantur Unflat Eſa. 28. v. 8.

Præterea 1. Corinth. 4. v. 13. extat vocab. περικάθαρμα purgamentum, quod proprie ſignificat lutum a calceis deterſum, vel e pavimento verrendo collectum.

Nec non περίψημα eodem loco citato i. e. ſordes, quisquiliæ & ſterquilinium a περιψάω abrado v. g. ſi a piris & rapis externas cortices, & a digitis unguium præſegmina, ceu immunda, reſecamus & abjicimus referente. Jac. Rauppio in Lex. Theol. Dan. Heinſius vero in Exerc. Sacr. N. T. p. 355. explicat: purgamentum

 metal-

metallicum, Syrus autem reddit ventris purgamenta Thren.3.v.45. Sensus igitur est, qvod Apostolos habuerint tanquam feces & immundities, vel excrementa mundi, quibus de medio sublatis existimaverint mundum purgari, quasi purgamentis e domo ejectis explicante ita B. Chemnitio in Harm. Ev. T. 1.p.2488.

Ast Philip. 3. v.8. extat *σκύβαλον* stercus, quod alii de palearum sordibus, alii vero proprie de canum rejectamento explicant, quasi *κυσίβαλον*, alii eruditorum de interraneis mactatorum animalium canibus projectis, vid. Ursinus T. 2. Annal. 5. l. 3. c.12. & Bochart. T.1. Hierozoic. l. 2. c. 55. Medici vero *σκύβαλα* vocant feces alvi duriores quasi *δύσβαλα*, quia difficulter excernuntur & per purgantia eliminantur, qvare concinna metaphora *σκύβαλα* loco allegato Paulino rem vilissimam ac contemtissimam notant.

Huc spectat defossio modesta fecum alvinarum Deuter. 23. v. 12.13.14. scilicet ad valetudinem castrorum, item ad vitandam sacerdotum offensionem, qui per castra cum arca & vasis sanctis transibant, ubi DEus non tam de externa munditie observanda, qvam de interna immunditie abroganda fuit solicitus: alioqvi Numen Divinum stercore humano nihil magis afficitur, qvam fimetis ac sterquiliniis splendor solis, inquit Th. Gatakerus in adversar. Misc. l.2. c.4.

Eodem modo 1. Sam. 5. v. 6. & 12. anus & intestinum rectum LOCUS OCCULTUS venuste vocatur, seu pars secretior, item POSTERIORA Ps. 78. v. 67. qvo loco scilicet natura expurgat feces ciborum corpori non conducentes, in qvo Philistæi in civitate fuêre percussi, hæmorrhoidibus scilicet cœcis, seu tumoribus ani dolorissimis (ast hæc pertinent ad MORBOS MEOS BIBLICOS.) Sic & hodie Medici flatus seu crepitus ventris modeste solent vocare Spiritus Sylvestres.

Præterea Scriptor sacer vitans atrocitatem sermonis, & reverentiam Dei, per *ἀντίφρασιν* posuit BENEDIXIT pro maledixit. Tales locutiones sunt Job. 1. v.11. & c.2.v.5. & 1.Reg.21.v.13.

Ad hæc in Sacris ebriosus vocatur tit. 2. v. 3. *οἴνῳ δεδουλωμένος* VINO SERVIENS seu ventri Philip. 3. v.19. & Jerem. 23. v. 9. is quem pertransivit vinum, juxta Pagn. & Actor.2.v.13. vino impletus: Dissipatio vero crapulæ dicitur EXITUS VINI 1. Sam.1.v.14.

Insuper

Insuper Scriptura libidinosos affectus quandoque exprimit per DESIDERIUM OCULORUM, ut Ecclesiastic.23.v.5. & 1.Joh. 2.v.16.pravas concupiscentias, ἐπιθυμίας σαρκὸς dictas. Syrus vocat desideria corporis juxta Vulgat. Qvanqvam etiam in bona significatione de conjuge accipiatur, Ezech.24.v.16.21.25. Nam juxta Ebraismus denotat rem visu jucundissimam, amabilem & gratiosam, qualis est mulier docora. Ad aspectum enim rerum formosarum aut pretiosarum oritur desiderium. Targum Jonathanis ita reddidit: est medicina lumini oculorum. D. Luc. Osiander scribit in h. l. maritus suam uxorem pro desiderio oculorum suorum habeat, eamque non morose aut virulenter, sed oculis amicis aspiciat: uxor vero ea sit modestia, pudicitia & humanitate, ut maritus lætitia cordis ac voluptate inducatur. Ecclesiasticus qvoqve c.45. v.14. vocat desideria oculorum, quæ sua elegantia alliciunt oculos. Ab aliis hoc vocabulum exponitur de singulari amore, qui rem amatam nunquam dimittit ex oculis, sed sæpe in eam oculos conjicit. Ubi enim amor, ibi oculi.

Sic liberi DESIDERABILIA UTERI vocantur, juxta Pagn. i. e. desideratissimi Hos.9.v.16. item res carissimæ ac charissimæ concupiscibilia oculorum appellantur 1.Reg.20. v.6. juxta LXX. ἐπιθυμτήματα ὀφθαλμῶν. Sic Jerem.31. v.20. puer schaaschuim cognominatur i. e. delectabilis, qui ob amabilitatem suam moresque delicatas quoslibet, præcipuo vero parentes, intime ita afficit, ut non possimus non satis intueri, illumque amare, ejusve lusibus oblectari. Phrasi ergo Hebræa desiderium pro re desiderabili sæpe ponitur in Sacris Pandectis vid. Tarnovius Comm. in Hagg. c. 2.

(Notam hic incidenter meretur, quod κόρη significet & pupillam oculi, & virginem seu nympham, qua allusione indigitatur, quod virgines sint oculorum pupillæ, quia idem cum virginibus nominis ornamentum sortitæ sunt. Leg. Th. Catakeri opera Crit. p.84. hinc Turcæ blandientes cum fœmellis dicere solent: pupilla oculi mei, teste Simone Januensi. Sæpenumero vero quæ intra palpebras, virgo erat, pupillæ diductione, vagoque motu, nutu & cogitatione scortillum evadit, unde Plutarchus scribit; Oratorem quendam acute, sed falso dixisse de impudente qvo-

dam: qvod in pupillis haberet non κόρας, ſed πόρνας i. e. non virgines, ſed meretrices.)

1. Joh. 2. v. 16. θυμία τῶν ὀφθαλμῶν inter trifolium damnationis refertur, qvo Delila mundana amaſios allicit: illæ ipſæ tres virgines ſunt, quibus juvenes in mundo inſerviunt: hac de re D. Cramerus eleganter ita diſſerit, mundus tanquam ſponſa Diaboli homines tentat 1. concupiſcentia carnis in facto, 2. concupiſcentiâ oculorum in ſenſu. 3. ſuperbia in geſtibus, hinc Mantuanus:

Ambitioſus honor, & opes, & fœda voluptas,
Hæc tria pro trino Numine mundus habet.

& Hilarius ſcribit: Mundus tumet ſuperbia, fervet avaritia, ſpumat luxuria. Principaliter vero juxta Iſidorum l. 2. de ſumm. bon. c. 39. duobus vitiis Diabolus humano generi dominatur: nempe ſuperbia mentis, & luxuria carnis. Hæc vero eſt ſtrues lignorum, quibus accenditur libido.

Cur autem libido oculos maxime ignoſcere faciat, ratio eſt in promptu, quia voluptas viſus fragrantiſſimos ſubdit deſiderii ſtimulos, ut ſpiritus eo confluant, ubi partes maxime afficiuntur. Viſum namque ſequitur deſiderium cordis, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται τὸ ἐρᾶν, oculus videt, cor concupiſcit, & membra perficiunt, quo tendit oculus, cor ſtatim tendit ſequax. Gemini enim oculi. duo cordis oſtiola ſunt, ſeu animi janua, ut vocat Baco de Verulamio p. 224. leg. Cantic. 4. v. 9. quæ verba ita explicat D. Luc. Oſiander: accendiſti meum cor oculis tuis ſuaviſſimis, quorum uno amanter in me conjecto quaſi facem ardentem pectori meo injeciſti, & ornatu elegantiſſimo cor meum cordi tuo conglutinaſti.

Hi retia ſunt quibus fœmellæ potentiſſimos ac ſapientiſſimos qvosqve capiunt, imo ſpecuta uſtoria cordis. Animus ſiquidem habitat quaſi in oculis, & in oculis extat, qvod intus in corde geritur, hinc omnes affectus per oculos ſe produnt, v. g. ira, Gen. 4. v. 5. & c. 31 v. 2. it. invidia Proverb. 23. v. 6. ubi phraſis Hebræa extat: malum oculum habere, veluti Matth. 6. v. 23. ὀφθαλμὸς πονηρὸς & c. 20. v. 15. it. Eccleſiaſtic. 14. v. 8. & c. 31. v. 14. Leg. Fr. Baco de Verulamio in ſylva ſylvarum p. 755. & Georg. Crauſerus in Obſ. Philol. Theol. p. 117. ſcilicet eſt metonymia ſigni. Nam invidi oculos torquere ac oblique movere ſolent, hinc Glaſſius in Rhetor. Sacr. p. 339. interpretatur de malevola mente. Dici-

Dicitur autem invidus quasi invite videns, cum scilicet, cui ins videt: idem Gr. vocatur βάσκανος i. e. aspectu fascinans. Invidia enim est quasi fascinum oculorum, quod sibi aliisque exitium affert.

Pari ratione Matth. 6. v. 16. homo tristis eleganter vocatur σκυθρωπὸς i. e. obscura facie ac tetrica, fronteqve corrugata & contractis superciliis, a σκύθης Scytha, & ὤψ facies, q. d. Scythicam habens faciem, D. Schmidius vertit: er siehet Cornelisch aus:

Contra erga pauperes benignus dicitur bonum oculum habere Proverb. 22. v. 9. & c. 35. v. 12. qvando benevolentia ex oculis elucet, & Matth. 6. v. 26. oculus simplex significat rectitudinem & sinceritatem cordis, exemplum leg. 2. Sam. 15, v. 11. Græci reddiderunt ἁπλότητα i. e. absque contaminatione, unde 2. Corinth. 1. v. 12. simplicitas & sinceritas conjunguntur.

Sic oculi elati seu oculorum altitudo superbi animi comes est, quod Latinus vocat elatum supercilium. Leg. Proverb. 6. v. 17. & Esa. 2, v. 11. & c. 10. v. 12.

Recte proinde Orpheus oculum vocat naturæ speculum, imo potius animæ speculum: Medici qvoqve præcipua sua signa prognostica ex vultu & oculis observant. Sic Hippocrates præcipit per morbos acutos faciem ægroti considerare, & Galenus ait: quæ in vultu apparent indicia, vim obtinent maximam. Nimirum facies sanorum similis est optima, & signum salutis exhibet; facies vero Hippocratica dicta (quando oculi fiunt cavi, nares acutæ, tempora collapsa, aures frigidæ & contractæ, cutis in fronte dura & arida, color vultus pallidus & niger, lividus aut plumbeus,) maxime lethalis existit: inprimis vero oculi in facie sunt considerandi. Nam ut valent oculi, ita corpus, inquit divinus ille senex, leg. prænot. Coac. p. 111. Celsus qvoqve in mortis notis reponit, si oculi pervertuntur. Nil dicam de tristitia & lætitia, pudore & cura &c. consulatur Jac. Rauppius in Bibl. portat. p. 348.

Visus libidinis minister est, inquit Bened. Aretius comm. in Matth. p. 53. Franc. Petrarcha l. 2. de vit. solitar. scribit: fœmina non aliter oculis, quam Basiliscus inficit: cui consentit Drexelius in Niceta, seu triumphata incontinentia l. 1. c. 7. prima fornicationis sagitta est oculus, uritque videndo fœmina, est mulier tactu viscus, & visu basiliscus, exemplum prostat Gen. 39. v. 7. unde Plinius

nius Valerianus Medicus virginem picem vocat l. 1. c. 1. & l. 2. c. 17. Libidinem enim amans compedes gerit in oculis, quibus vinciat, gluten, quo affigat, hamum, quo inuncet, flammas, quibus aduerat, ſagittas, quibus confodiat animum aliorum, item pocula, quibus venenum aliis propinat. Cornel. a Lap. comm. in Gen. 3. mulieres appellat periculoſas illucebras & ſuave venenum. Cyprianus ait: mulieris cantu tolerabilius eſt audire baſiliſcum ſibilantem: omnis inconveniens ſodalitas mulierum gluten eſt & viſcus toxicatum, quo diabolus aucupatur, & Hieronymus: Venus venuſta amabilis eſt oculis, ſed venenat animum,

Primus fœmineo peccavit amore maritus,
Noxius inde viris eſt muliebris amor.

Vid. Mart. Ant. del Rii Syntagm. Tragœd. Lat. P. II. p. 165. Si qui in lipporum oculos viſu incidunt, lippitudine tanguntur: cur non amantium oculi ſubtiliſſimo puriſſimi & acerrimi ſanguinis vapore venenato imbuti, invicem mixtis radiis, contagionem ſuam communicabunt? hinc Drexelius lib. de Noëmo oculos ad vitia volantes perniciſſimos vocat tabellarios.

Præterea virginum laſcivientium nutus, motus, & jactus oculorum procaces laquei amoris vocantur. Sic Judith. 9. v. 10. LAQUEI OCULORUM mentio fit juxta Pagnin. unde Franciſci; das Auge der Hure iſt ein Strick des Liebhabers / ein Strick iſt auch der Huren Rede/ darum fleuch die Buhlerin/ daß du nicht in ihre Stricke fälleſt Sirach. 9. v. 3. 4. 5. Ephrem mulierem appellat laqueum comptum, homines in voluptates illicientem, hinc Proverb. 7. v. 21. dicitur: protraxit illum, LXX. laqveis labiorum ſuorum alligans domum ad usqve attraxit. Captioſa enim meretricis verba ac lenocinia ita ligant animum juvenum, ut eum quaſi funibus attrahant ad libidines explendas.

Sicuti vero avis advolans ad cibum capitur, & illaqueatur ab aucupe; ſic quoque adoleſcens a meretrice, præſertim ſecreta, hujus illecebram ſectans, ut ſe extricare neqveat vinculis amatoriis compeditus. Conſentit Eccleſiaſtes c. 7. v. 27. Oculus enim meretricis rete & laqueus eſt peccatoris, juxta Gregor. Nazianzenum, quare notanter Proverb. 6. v. 26. dicitur: mulierem viri (i. e. uxorem alterius, vel adulteram) animam viri venari, ubi in fonte ver-

bum venatorium usurpatur Tazudh, aucupibus ac venatoribus solenne, ad capiendas aves aut ferasGen.27.v.3,&Levit.17.v.13.atque applicatur ad meretrices, quæ Diaboli sunt canes venatici, acretia, quibus multi implicantur incauti, quia firmiter retinent, capti igitur misere pereunt. Laqveum hunc inprimis tendunt juventuti incautæ & ejus libidinis plenæ, quare hæc probe caveat, ne sit præda venationis oculorum earundem D. Christ. Weidlingius in derEmblemat. Schatzkammer P. 1. p. 257. in meretricem perniciosam hoc lemma facit: Allicit in laqveum & p. 458. Allicit & decipit, item: dum ludit, lædit.

Mundus plenus est laqueis, Ecclesiastic.9. v. 20. Deuter. 12. v. 20. 2.Sam.22.v.6. ideo corn. a Lap. Comm.in Esa. 5. in genere peccata appellat funes 1.quia fiunt ex filis, i. e. ex rebus levissimis & voluptatibus vanissimis. 2. quia sunt distorta, 3. fortia, & 4. implicata ac invicem connexa, ut funis. In specie vero quot in muliere sunt corporis ornamenta, tot laqueis capit insensatos, inquit Joh. Lorinus comm. in Ecclesiasten p. 149. ineluctabilia sunt libidinum vincula, a quibus vel difficillima, vel sera, vel nulla datur liberatio, hinc sæpissime subsequitur gehennæ claustrum. Leg. Joh. Euseb. Nierembergius in doctr. ascet. p.368. Oculi in exitium duces, ait Eman. Thesaurus in Inscript. p.165.

2.Petr.2. v.14.vocantur δελεάζοντες inescantes, ubi metaphora sumitur ab aucupibus, vel piscatoribus, illectamentum escæ loco laqveis hamoque imponentibus: sic qvoqve vagabunda oculorum levitate ac lenociniis blandis adolescentes capiuntur.

Huc congruit locus Esa. 3. v. 16. ubi in fonte non oculi stibio fucati inveniuntur, (stibium enim, seu antimonium VeterumCosmeticum fuisse, cujus nigro pulvere saliva madefacto, styloque intincto palpebras, cilia & supercilia in arcus formam denigrarunt, in HORTO MEO BIBLICO ex 2.Reg.9.v.30. Jerem.4.v.30.& Ezech. 23.v.40.fusius ostendam) sed proprie oculi innuentes. Vocabulum enim Hebr.Meschakkeroth a Sikken i.e. nutare LXX. reddiderunt νεύματα i.e. nutationes ac nictationes fallentes & allicientes fœmellarum, quibus juvenes quasi lynces ad se trahunt & rapiunt, vel contorsiones oculorum blandas & amabiles. Palpebræ enim nimium mobiles arguunt impudicas. Casp. SanctiusComm. in.h.l. verba hæc

2-402

ba hæc ita interpretatur: Nutus oculorum meretricis plane incessus est. Nam vagæ leviculæque mulierculæ inter eundum petulantibus oculis nictant, arrident aliis, propinantque amentibus libidinis poculum. Leg. Ecclesiastic. 26. v. 12. ubi in Græc. vers. extat μετεωρισμὸς ὀφθαλμῶν, nervosa certe metaphora, desumta a meteoris ignitis in aëre hinc inde vagantibus, quale est ignis fatuus, his concinne comparantur vagi mulierum oculi libidinosi, ac emissitii. Et c. 9. v. 7. & seq. evagatio pedum oculorumque prohibetur, melius autem est labi pedibus, quam oculis, ait Clemens Alexandrinus: Adamantius quoque Sophista emphatice oculos vocat κυμαίνοντας i. e. æstuantes, fluctuantes, ac tumentes libidine, instar æquoris.

Porro Philostratus oculos cognominat consiliarios amandi & fenestras animi, item Ecclesiasticus c. 13. v. 31. Maxima namque cognatio est cum mente, ac spirituali appetitu oculorum conjunctio, inquit prædictus Lorinus Comm. in Ep. Joh. p. 50. subeunt per illos, velut fenestras, objecta sensibilia, ipseque animus egreditur ac effundit sese in res externas per concupiscentiam ac delectationem, quare Salvianus dicit: omnes improbæ cupiditates in cor & oculos, quasi per naturales cuniculos introeunt: & post oculos cor abire dicitur Job. 31. v. 7. quando concupiscentias pravas sequitur, hinc autor qvidam lepide scribit: die Augen sind die Fourirer/ so die Liebe ins Hertz einlogiren/ exemplū prostat in Hist. Susann. v. 9. Henr. Mollerus enarr. in Ps. p. 1138. ait oculos foris divagari velut famulæ non probe institutæ, quæ aliquid nunciant cordi, quod incendat pravos affectus & cupiditates, consulatur hic Christ. Weidling. in der Orat. Schatzkammer P. II. p. 38. & Orientius eleganter oculos loquaces vocat. h. v. - - - ludentia lumina visu

blande sæpe solent ore tacente loqui.

Imo magna est vis, magnusve oculorum dominatus in corda, & vicissim magna cordium adversus oculos symphathia. Quo enim feruntur oculi, eo repente ac furtive rapiunt secum animos ac corda, unde Alexander M. noluit videre Darii jam a se cæsi uxorem & filias, dicens: Persicas fœminas esse oculorum dolores. (Etenim Persicæ mulieres cæteras pulchritudine superabant) Quidam hoc lemma fecit; ut vidit, periit. so bald gesehen/ so bald geschehen.

schehen. Per oculi enim beneficium homo infert animæ veneficium, juxta Augustinum. Nullus aspectus est tutus in nulla ætate, ardent qvoqve intus senes vel nive frigidiores cœcoque pascuntur igne, oculi vagi ignes suscitant ex ossibus quasi defunctis.

Joh. de la Haye Comm. in Exod. t. 1. p. 641 ait: oculum ad modum agri se habere, qui ciliis ac superciliis veluti sepibus munitur, & objectorum species veluti semina recipit, quæ in eo germinant: noxia igitur semina visu non excipiantur, ne multiplicato fœnore succrescant in animo, quæ in visu germinaverant. In Pirke Aboth legimus: aspectus oculi initium criminis.

D. Müller im Liebes-Kuß c. 11. præclare disserit: Noa verpichte seinen Kasten inwendig und auswendig/ damit nicht das Wasser hinein dringen möchte: Christen müssen ihr Hertzens-Kästlein wohl verwahren/ damit nicht das Honigsüsse Welt-Wasser hinein dringet/ und das Hertz Schiffbruch leidet. Denn durch die Augen/ als des Hertzens Fenster kan leicht ein sündliches Bildniß in die Seele kommen/ welches dasselbe verunheiliget.

Oculus & cor mediatores sunt peccati, inquit Joh. Drusius in adag. Ebr. hinc lex Num. 15. v. 39. præcipit Israelitis ne sequantur oculos & cor. R. Levi scite dixit: mulierem non factam esse, ex oculo, ne sit circumspiciens: mos ideo fuit laudabilis mulierum in Oriente, ut prodirent operta facie, juxta Tertullianum. Virgo pudica pedes oculosque domi habeat (officia enim earum non ad forum sunt, sed ad focum) hinc Hebræis virgo ἐμφατικῶς Almah i. e. abscondita, & Græcis παρθένος a παραθέειν τῇ μητρὶ, qvod matrem cominus debeant sequi, appellatur, & Apostolus mulieres vult esse οἰκουρὰς Tit. 2. v. 5. custodes domus, curatrices rerum domesticarum ac domi manentes, instar cochlearum domum secum circumferentium, hinc Veteres, Plutarcho docente, pingebant mulierem insistentem testudini, ut innuerent domi se continere debere, qvare casarias easdem vocabant, viceversa μοιχὰς adultera nonnullis dicitur qvasi μὴ οἶκος nequaquam domi, prout describitur Proverb. 7. v. 11. Cum enim ardeant libidine, instabiles sunt, & domi nequeunt consistere, verbo: adest mentis ac pedum instabilitas & evagatio: Sic etiam Chaldæis meretrix

retrix ab egrediendo nomen habet, quod meretricium sit foras vagari Proverb. 7. v. 11. 12. & c. 9. v. 13. 14. 15.

Qvapropter nos oportet non tantum linguas & manus, sed etiam oculos abstinentes ac continentes habere vid. Marc. Antonius l. 3. de rebus suis p. 65. quoniam oculis, velut manibus incorporeis, qvicqvid volumus, attingimus, ut loquitur Basilius lib. de vera virginitate. Ephremi dictum est: aqvæductus confractus perdit aquas: & oculorum distractio mentem castam destruit. Notabilis extat locus Matth. 5. v. 28. ubi non reperitur ὁρᾷν, sed βλέπειν, quod plus valet, interim probe discernendum est τὸ βλέπειν impudicum ab honesta. Non enim simpliciter prohibitum est aspicere fœminam, sed cum mala concupiscentia, & impudico animo, ut explicat Joh. Maldonatus Comm. in h. l. p. 121. scilicet ut concubitum ejus appetat, unde additur præpositio πρὸς, qvæ indicat intelligi talem aspectum, unde cor interius titillatur & libidine accenditur. Sunt homines, qui cum cupide aliqvid intuentur, oculis faciunt in orbem rotatis, ac, ut Martialis loquitur, devorantibus, (hos oculos autor quidam girovagos concinne vocat) i. e. summa cupidine, & infanda libidine. Nam oculi videndo pascuntur.

Porro ἐπιθυμῆσαι loco alleg. verbum est prægnans, si scilicet animus oculos inseqvitur, aspice ut cognoscas, Hebræi posteriores vocant pascere oculos illicito spectaculo. Quod in homicidiis est irasci, hoc in adulteriis est concupiscere, inquit Erasmus Roterodamus pariphrasi in Ev. Matth. p. 34. hi enim duo in hominibus sunt affectus potentissimi, primus ad homicidium gradus est irasci, & ira signum homicidarum: sic oculorum illecebris alterius animum ad impudicitiam sollicitare, nota est adulterii. Prima tela adulteræ sunt oculorum, altera verborum: sed qvi non capitur oculis, potest verbis resistere, juxta Augustin. Marloratum in Expos. Eccles. in Matth. Synecdochica hic est locutio, qvia homines adulterii reos faciunt non tantum oculi, sed etiam cœcæ cordis ustiones.

Lex vero hæc non viris tantum, sed fœminis qvoqve data est. Notum est ex Gen. 3. v. 6. primi peccati occasionem ab oculis provenisse, ex primo hoc peccato in oculis postea remansit potissimum impressum mali contagium. Non tutum itaque est con-

spicere

spicere, qvod non licitum est concupiscere, qvare Iobus dicit se velut fœdus & pactum cum oculis suis iniisse, ne virgines libidinose aspicerent Iob. 31.v.1. Plura de circumspectissima oculorum observatione vid. Joh. Casp. Suicerum Thes. Eccles. tom. II. Jacob. Cats. embl. X. Tob. Lohner. in manual. Bibl. Jac. Lobbetium in Q. moral. Eman. de Naxera Comm. in Judic. &c.

Delictum hoc nonnulli vocant STUPRUM OPTICUM. Stuprum namque est varium.

D. Dan. Cramero SCORTARI ORE idem est ac impudicum esse in verbis. Apostolus vocat SERMONEM PUTRIDUM λόγον σαπρὸν Ephes. 4. v. 29. sumta metaphora vel a cibo putrido, ad quem ventriculus nauseat, eadem ratione & aures piorum hominum fastidiunt omnia colloquia sordida: vel ab arbore corrupta, cariosa ac putrida, quæ minime profert bonos fructus Matth. 7. v. 17. verba obscœna sunt sputa Diaboli, inqvit Henr. Engelgrave in Pantheo cœlesti, hæc bonos mores corrumpunt 1. Corinth. 15. v. 33. quæ verba explicata vid. apud Joh. de la Haye Comm. in Exod. t. I. p. 618. ac Th. Gatakerum in Cinno seu adv. misc. p. 10. ubi pestis contagio comparantur, hinc D. Geierus in Zeit und Ewigkeit p. 443. ita loquitur: pflegen nicht faule Aepffel und Pomerantzen andere anzustecken: also können böse Gespräche die allersittsamsten Gemüther verderben.

Vel a fœtore oris seu anhelitus a pulmone exulcerato, vel dentibus corruptis, aut a cadavere putrido, prout exponit David Glado in regn. Diab. myst. t. II. p. 129. hinc apud Latinos pudere & putere perexiguo discrimine separantur, rerumque fœtidarum merito pudet tædetque. Aurelianus imperator dicere solitus est: se malle odorari cadaver fœtidum, quam audire sermonem putridum. Jucundam Historiam refert Ægid. Albertinus in hort. muliebr. P. 3. c. 7. p. 46. it. Ernestus in Gesprächen p. 424. h. v. jene Hertzogin von Medina hatte immer einen Beutel voll zermahletes Gewürtz bey sich getragen/ und wenn ein Diener oder Dienerinne ein unziemliches Wort redete; so ließ sie denselben vor ihr niederknien/ und warff ihm etwas von denselben Gewürtz in den Mund/ durch welchen Gebrauch sie endlich ein so wohl in Worten als Wercken sehr keusches Hof-Gesinde erlanget. Misander in De-

lic.

2406.

lic. Bibl. N. T. ann. 93. p. 54. ita applicat: Wie viel Würtz-Läden würde man auskauffen müssen/ wenn man allen/ denen ein stinckender Wort-Geruch aus den Munde gehet/ auff solche Weise einen wohlriechenden Athem machen wolte? & p. 566. addit: wie vielen wird in der Kirchen vor dem Altar nicht etwa köstliche Gewürtze aus Ost- und West-Indien/ sondern der allerheiligste Leib und das allerköstbareste Blut des Sohnes Gottes in ihren unreinen Mund gegeben/ und folget doch bey ihnen darauff keine Besserung/ weder der Worte/ noch des Lebens.

Sermo autem est character animi, quale est cor, tale est & os, & qualia cogitamus ac cupimus, talia etiam loquimur. Sicuti vero cadaver fœtidum homines aversantur occlusis ore & naribus; canes contra vulpes ac muscæ eodem delectantur: sic pii castique homines abominantur verba obscena (quæ Varroni ita dicuntur a scena seu Comœdia) item corrupta, aliis noxia, & inhonesta, quia scandalum præbent juventuti. Petrus 2. Ep. c. 2. v. 22. dicta hæc impura ἐξέραμα vocat, quod scilicet per vomitum ejicitur. Concinna sane metaphora.

Cartvvrgtus verba fœda Proverb. 4. v. 24. comparari dicit distorsioni labiorum, seu torturæ oris aspectu fœdæ, quam Medici Spasmum cynicum vocant, quia canibus similem conciliat faciei habitum, ortum a convulsione seu paralysi; alii vero comparant sinuosis serpentum flexibus, pro quibus facit Græca versio στόμα σκολιὸν i. e. curvum & tortuosum. Hæc flammam libidinis facile excitare possunt, unde Chrysostomus; Turpiloquium est aditus ad turpiter agendum, consulatur Eduard. Leigh. in Critic. S. N. T. p. 535. & Marloratus in Ep. ad Galat. 5. immundities a scortatione differt tanquam genus a specie. Huc spectant carmina amatoria, impuræ de re venerea dissertationes & indecoræ facetiæ.

Impii viceversa ac venerei delectantur sermonibus hujusmodi lascivis, congrue loquitur David Ps. 5. v. 10. & Rom. 3. v. 13. sepulchrum patens est guttur eorum, ubi Chrysostomus miratur, qvod, cum cadavera terræ mandentur, & ne pudore nos lædant, alte defodiantur, verba tamen putida, lasciva, obscena toties eructantur e pectore, anne tu putes Deo probari, si os, quo Di-

vina

vina Euchariſtia excipitur, impudicis loqvelis & cantilenis mutatur in lupanar & proſtibulum Diaboli. Leg. Drexelii Nicet. p. 54. In Harm. Chemnitio-Lyſ. t. I. p. 525. ità explicatur: ſicut ex ſepulchro, in qvo putrida cadavera jacent, immanis fœtor exhalat: ita ex oris libidinoſi tumulo nil niſi laſciviæ verba eructantur, vel, ut B. Hunnius loqvitur, inſignis fœditas per guttur proficiſcitur, & t. II. p. 594. putredo arguit animal eſſe mortuum, ex qvo fœtidus odor exhalat, ſic ſermo impudicus animam in peccatis eſſe mortuam oſtendit. Dicitur autem ſepulchrum patens, quia ejusmodi impii ad pravos ſermones ſemper ſunt expoſiti.

Sicuti vero illi, qui fœtore oris laborant, halitum ingratum non percipiunt. Nam olfacimus non exſpirando, ſed inſpirando, exſpirando potius odorem cum aëre repellimus, prout oſtendit Schneiderus l. 2. de catarrh. p. 279. Sic nos ob conſvetudinem fœtorem peccati non ſentimus, interim Deo fœtor hic maxime moleſtus eſt.

Petrus Damianus linguam laſcivam turdo confert, cui idem, qvod alimento, hoc qvoqve illi exitio eſt. Nam ex baccis, qvas per os nutrimenti loco aſſumit, & per alvum excernit, (juxta vulgatam opinionem) viſcus naſcitur, qvo poſtmodum ab aucupibus capitur, vid. Bened. Curtius l. 26. de hort. p. 598. ità impudici viſcum excernunt ore, qvo eum aucupes ſtygii capiunt.

Quis, quæſo, non averſatur gangrænam, & cancrum ſerpentem, carnem vivam depaſcentem? Sic quoque verba & cantus impudici caſtum pudorem vitiant, & proximum ſcandalizant.

Cum quo coincidit dictum Pſ. 140. v. 4. venenum aſpidum ſub labiis eorum. Annotante enim Aurel. Severino aliisve Zoographis aſpidum dentibus adnaræ ſunt veſculæ ſeu glandulæ, ſalivalium glandularum affines, vel analogæ, quæ una cum morſu liquorem contentum venenatum eructant in vulnus, & hoc modo ſanguinem inficiunt, tales quoque Franc. Redi obſervavit Florentiæ vid. Ephemer. Gallic. ann. 1666. p. 132. ſic ſub lingua hominis impuri latitant verba obſcena ab infernali ſerpente orta, quare probe monet Apoſtolus: ſermo veſter ſemper ſale ſit conditus Coloſſ. 4. v. 6. Similiter vocab. putre de impuritate, obſcenitate, ac li-

2408.

bidine a Romanis usurpatur, ita Flaccus oculos libidinosos putres vocat.

Ut vero ad priora revertamur, Salvator Matth. 5. proprie loquitur de stupro optico, ad quem locum Leg. Lightfootum, Hackspanium, Grotium & Wagenseilium in Sota p. 51. secundum Talmudistas quicunque mulierem aspicit cum intentione, perinde est, ac si rem habuisset cum ea, vid. Proverb. 23. v. 33. & 2. Petr. 2. v. 14. ubi dicitur habere oculos plenos μοιχαλίδος i. e. adulteræ h. e. totos in libidinem intentos. In oculo visus est, & in corde peccatum Ecclesiastic. 26. v. 12. & 14. ac c. 41. v. 25. & c. 42. v. 12. Clemens Alexandrinus inquit: lascivus aspectus nihil aliud est, quam oculis mœchari, cum per eos cupiditas ineat primæ pugnæ præludia. Plura de scortatione oculorum consule R. Mosen Maimonidem lib. de idololatr. cum not. Dionys. Vossii p. 27.

Adamum, Simsonem, Lothum, Danielem, Salomonem &c.
Fœmina decepit, quis modo tutus erit?

Elegantissime quidem oculi appellantur corporis nostri custodes, sed hi custodes ipsi probe sunt custodiendi, quapropter optime monet Nilus Decur. 7. auditum & oculos munito; per illa enim omnia malitiæ tela ingrediuntur. vid. Ecclesiastic. 9. v. 5. 8. 9. c. 19. v. 2. c. 23. v. 5. & 6. c. 42. v. 12. & Job. 31. v. 1. Non dissimile est dictum apud Senecam: projice quæcunque cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erit. Nulla enim pars corporis humani peccato magis inservit quam oculi, ideo Audomarus, Episcopus Tervanensis, & Maris, Episc. Chalcedonensis Deo pro luminis oculorum privatione grates egerunt, ac Cicero l. 5. Tusc. cœcos beatos prædicat, quod scilicet abominanda hominum facta aspicienda illis essent denegata, nec non Seneca, lib. de remed. fortun. quod oculi essent irritamenta vitiorum, ac scelerum duces, quippe qui huic adulterium monstrarent, huic incestum, huic domum, quam concupiscunt, huic urbem & mala omnia.

Notanter autem Matthæus c. 5. v. 29. abjectionis dextri oculi mentionem facit, tanquam pretiosioris. Nam partes dextræ v. g. manus &c. aptiores videntur ad opus peragendum, tanquam ma-

jori

jori spirituum influxu, adeoque majori robore atque agilitate prææditæ.

Non frustra qvoqve Conditor summus in structura oculorum inter alias causas eosdem palpebris ciliorumque ac superciliorum tegminibus occuluit, ut occurrente muliere, aliave illecebra, illos mentemque pariter a noxa occultemus, prout monet Corn. a Lap. Comm. in Gen. p.42. quare oculos ab occultando dictos Varroni placet. Oculi primo emoriuntur, non male hoc instituit natura, ait Drexelius, ut, quo majus est nocendi periculum, eo brevius esset spatium, idcirco etiam fletus sunt instrumentum, ut, quia sunt peccati, simul etiam essent pœnitentiæ principium.

Mantua Batavinus in Zoograph. seu hieroglyph. oculum nominat malarum cupiditatum autorem, quare multi eos sibi eruisse leguntur, vid. Mich. Neander in Oper. aur. P. II. p. 36. ut hoc pacto peccandi ansam sibi omnem præscinderent: quod tamen nec pium, nec Deo gratum, adeoque nulli Christiano imitandum. Objicitur quidem locus Matth. 18. v. 9. verum hic non locutio est propria, alias pugnaret cum quinto præcepto, sed tropica, ubi eruere oculum significat cordis concupiscentiam per fidem mortificare, ex oculorum intuitu natas cupiditates pravosque motus eradicare, ne aspectus fœmellarum non scandalizet: Deinde simul adjicitur verbum adjicere cum emphasi, quemadmodum res noxias prorsus projicere solemus.

Baumannus in Analect. typ. præcipit, ut recte usurpemus oculis h. v. sursum videas, ut gaudium cœleste ad bene agendum te commoveat, deorsum videas, ut inferni supplicium a peccatis te absterreat, retrorsum videas, ut peccata præterita plangendo recogites, antrorsum videas, ut mala imminentia effugere studeas, sinistrum videas, ubi multos habes hostes, qui te tentant, dextrum videas, ubi habes DEum, qui adstat, & te pœnitentem expectat: & Jac. Rauppius in Bibliothec. portat. Pract. p. 349. pie monet: Habes abunde satis, habes in multos annos quod discas & exerceas, oculos custodi, fœminis eos claude, terræ aperi, & sepulchrum circumspice. Nec non Balth. Meisnerus in Med. Sacr. in Ev. p. 291. Freno hic opus est oculorum, intellige castitate. Castus enim avertit oculos, quos caro lasciva advertit, Diabolus perver-

2910.

pervertit, & spurcus amor invertit. Desideria hæc carnis prohibentur Galat. 5. v. 16. & 24. Campianus omnia mundi pulchrait a depingit: aurum, gloriam, delicias, veneres contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum ilia, canorus aër, popina vermium, bellaqve sterquilinia?

Præterea in Sacris σπαταλᾶν PRURIRE modeste significat pruritus libidinosos sentire ut 1. Timoth. 5. v. 6. vel lascivum deliciosum ac luxuriosum esse, juxta Athenæum: Sicuti in pruritu cutis causa est serum particulis multis terrestribus acribus acuatum, in glandulis cutaneis a massa sanguinea separatum, qvod transpiratione aliàs in statu naturali sensim & insensibiliter exhalare solitum hic stagnat & concentratur, ac acredine sua nervosas cutis partes pungendo & vellicando molestum illum pruritus sensum inducit, usqve dum forti fricatione pori magis dilatantur, sicque crassioribus istis excrementis exitus datur: ita pruritus carnis libidinosi ab interno pravæ concupiscentiæ stimulo surgunt.

Deinde πυρῦσθαι URI 1. Corinth. 7. v. 9. notat flammas libidinum seu concupiscentias interiores, quæ velut incendio quodam cor penetrant, qvamvis nondum in exteriorem scortationem prorumpant: Syrus reddit: ardere concupiscentia, ubi ex libidinis ardore cor qvasi æstuat Ecclesiastic. 9. v. 5. & c. 23. v. 23. D. Chemnitius interpretatur, æstuare libidine, ut voluntas succumbat & impuris cogitationibus delectetur, seu titillationibus libidinis tentari, exemplum Leg. Hist. Susann. v. 8. ita ferrum dicitur πυρῦσθαι dum ignescit, licet igne non absumatur; sic multi internis æstuant amoris flammis, etiamsi actu scortationem vel adulterium non committant, hinc apud profanos autores fax ignis & flamma pro amoris impuri affectu usurpatur. Paulus 1. Thessal. 4. v. 5. vocat morbum cupiditatis, secundum Pagnin. i. e. passiones desiderii, seu concupiscentiæ internas ustiones, impuros affectus, & inexplebilem carnis libidinem.

Incendium hoc oritur ex conversatione cum frivolis fœmellis, impossibile autem fere est flammis circumdari, nec ardere, quare Cyprianus monet: amputanda sunt omnia nobis, qvæcunqve igniferi fomitis sulphurantibus flammis candens fornax ebullientis carnis exæstuat, ne vel tenuis qvidem scintilla servata majora conflet

flet incendia: & Nazianzenus: Si procul a fœmina abfueris, manet ſcintilla: ſi autem vitæ commercium cum ea habeas, ex parvo vento magnum incendium excitabis.

Eandem virtutem habet verbum ἐνκαίεσθαι INCENDERE Rom. 1. v. 27. de qvo infra. Diſce hinc, ait Corn. a Lap. qvam cavenda ſit converſatio cum muliere. Vox enim ejus, oculi, vultus, totumqve corpus eſt qvaſi ignis, intuentem, colloquentem, converſantem tartareis libidinis flammis tacite ſuccendens: hic ſenſim ab oculis & ſenſibus ad phantaſiam prorepit, inde ad cor, mentem, ac voluntatem proſerpit, nec ceſſat, donec totum hominem inflammet. Leg. Job. 31. v. 12. Aſpicit Sol ſpeculum politum, mox flamma, quæ res objectas exurat, ſurgit in ſpeculo: aſpicit vir fœminam pulchram, ſurgit illico flamma amoris in viro.

Sic qvoqve verbum INCALESCERE non raro de re venerea accipitur, ut Eſa. 57. v. 5. juxta explicationem Vatabli, ubi fervor indicatur, quaſi in re venerea, & ardor libidinis. Caloris enim nomen amorem intemperatiſſimum deſignat in omnibus fere linguis. Sic amor ignis vocatur, libido æſtus, & ardor libidinis inexplebilis dicitur uſtio. Chryſoſtomus hoc ſimile parat: ut ignis, ubi fœnum aliqvod aut culmen arripit, nihil moratur, ſed ſimul lucidam accendit flammam; ita & ignis concupiſcentiæ, qui eſt in nobis, ſimulatque per oculorum intuitum elegantem ac venuſtam attigerit formam, protenus exurit animum, hinc S. Ephrem fœmellam vocat caminum ſuccenſum. Item Pſ. 51. v. 7. D. Sanctes Pagn. tranſtulit: in peccato calefacta de me mater mea; qvalis calor fit ex ſubjectis prunis Ezech. 24. v. 11. ſeu in ira, ex ſanguine ebulliente Devter. 19. v. 6. pari ratione mater in congreſſu partim in ſe accepto pruritu ac calore concipit, partem etiam calorem ſemini concepto communicat, illudque in utero fovet. vid. Joh. Frider. König. in Diſpoſ. in univ. Th. p. 180. unde Latini amori ardorem tribuunt, maxime muliebri, qvippe qvi ſummus eſt & ardentiſſimus 2. Sam. 1. v. 26. Imo illi, qvi hunc exercent, libidine & calore venereo ardent, quod & de brutis uſurpatur, Gen. 31. v. 10. Leg. Pagn. B. Lutherus reddidit: wenn die Zeit des Lauffs kommt.

Porro 1. Timoth. 5. v. 11. uſurpatur verbum καταστρηνιάζειν i. e.

2412.

lascivire de viduis junioribus, quod derivatur ἀπὸ τῦ στερεῖν privare & ἡνία lorum, quo equi reguntur, ubi metaphora sumta a jumentis, quæ repagulis fractis, frenis excussis, ruptis & abjectis ferocire incipiunt: sic etiam viduæ nonnullæ juniores ruptis per mortem habenis mariti effugiunt, & suopte ingenio hinc inde evagantur, lasciviunt & luxuriantur: Si quoque frena hæc secure laxentur, illam perdunt, (ideo notanter φθορὰ ἐπιθυμίας concupiscentia corrumpens cognominatur 2. Petr. 1. v. 4. Rauppius in Aphor. Bibl. interpretatur: wenn sie das Futter sticht.

Similiter amatores libidinosi Jerem. 5.v.8. appellantur EQUI BENE PASTI. In fonte extat vocab. Maschchim, quod ab Hebr. Maschach, protraxit, produxit, seu extendit, derivatur, juxta Ludov. de Dieu, q.d. equos producentes seu extendentes membrum genitale, quod honoris causa subticetur, quia ex materia subjecta satis intelligitur.

Denique fornicatores in Sacris vocantur RADICES AMARITUDINIS Hebr. 12.v.15. juxta explicationem Corn. a Lap. quia hi contrariantur Sanctitati i. e. castitati.

Vehementissimos autem æstus libidinis Scriptura S. exprimit per FERVOREM Jerem. 2. v. 24. Ezech. 23. v. 20. Coloss. 3. v. 5. &c. quod declarari potest similitudine aquæ ferventis, quando contra naturam propriam ebullit, in se quiescere nequit, sed vapores sursum emittit. Leg. Judith. 12. v. 17. ubi reperitur voc. ἔκστασις, quod significat motum animi vehementem ac immoderatum ad amorem quasi extra se rapti.

Item per pistoris FURNUM ARDENTEM Hos. 7. v. 4. & 6. quippe qui in corde hominis flammæ instar urunt ac effervescunt, Meisnerus in Comm. p. 681. comparationem ita instituit: ut calor est in clibano, sic concupiscentiæ fervor in corde humano: ut pistor succendit clibanum: sic Satan flammas cordi humano injicit. Sicut clibanus accenditur, ut coquatur massa & fiat panis: sic cor inflammatur, ut homo quasi coquatur & fiat cibus Diaboli.

Joh. de la Haye Comm. in Exod. c.9.v.8.9.10. ad h. l. ait: hæc plaga respondet mandato: Non mœchaberis, imo &, qui mandati hujus transgressor est, meritam pœnam præsagit, quid autem est adulter

adulter, combustus libidinis igne sulphureo, nisi cinis de camino? Rom, 1. v. 27. dicuntur illi exardere libidine, qui relicto naturali usu fœminæ ad venerem præposteram magna animi cupiditate ruunt. Ambrosius ait: febris nostra libido est, eo quod ignitæ sint cupiditates, sed vehementior est animi, quam corporis febris. Et hoc est quod Poëtæ fingant Venerem Vulcano nuptam, ut ostendant amorem ardore incendi. Non solum autem æstus libidinosi meretricum sunt instar furni, sed etiam instar Heclæ, Ætnæ ac Vesuvii. Sicut enim hi montes ignibus æstuantes globos igneos ejaculantur, quibus omnia circumcirca comburunt: sic os meretricis igne libidinis æstuans amoris flammas facesque ejaculatur, quibus omnes in sui concupiscentiam ragit & accendit.

Insuper INEBRIARI AMORIBUS Proverb. 7. v. 18. dicitur de copiosa voluptatum turpium fruitione, sic μεθυσθῆσαι ἔρωτι apud Oppianum & Philostratum legitur: immodicus amor quoque est ebrietas quædam, ac temulentia de mentis statu dejiciens, unde amantes nimii fere sunt amentes, dum præ amoris vi omnium obliviscuntur.

Denique VULNERARI AMORE Hist. Susann. v. 10. est animum flagrantissimum ac sitientissimum erga aliquam habere, hinc Virgilius ait: Vulnus alebant venis: & Theophylactus; turpis libido est rabies quædam corporis, nec secus se habet, quam vulnus in corpore, aut febris, vel alius quivis istiusmodi morbus, hinc LXX. verterunt: κατανενυγμένοι περὶ αὐτῆς compuncti pro ea, a gr. νύσσω i. e. punctim cædo, nec non Scholiastes: κεκεντημένοι τῇ ἐπιθυμίᾳ σφοδρῶς puncti concupiscentia vehemententer, a κεντέω jungo.

Deinceps appetentiam libidinis, qua quis sive formosas sive deformes mulieres sine discrimine appetit Ecclesiasticus c. 23. v. 24. vocat FAMEM CUJUSLIBET CIBI.

Nec non Paulus immoderatam libidinem exprimit per COMESTURAM seu DEGLUTITIONEM Proverb. 30. v. 20. Nonnulli interpretes actum obscenum intelligunt, ubi adultera ore matricis semen alienum recipit libidinose, sicut esuriens ore naturali cibos devorat avide. Sicuti enim illi, qui clam comederunt aliquid, statim absterso ore negant se fecisse: sic adultera, indicia removens

movens scorti, omnibus modis se excusat. In Scriptura rem turpem & impuram modestis castisve verbis pro more exprimit, nihil interea morum nefandorum omittens.

Item per APPETITUM vel ὄρεξιν Germ. Lüsten Rom. 1. v. 27. quam paulo ante ἐπιθυμίαν vocabat. Non enim amoris nomen meretur talis cupido Devter. 24. v. 1.

B. Lutherus exprimit Unlust/ ubi res turpis seu consuetudo mulieris cum alio viro intelligitur, Vulgatus reddit fœditatem, & Pagninus turpitudinem.

Deinceps Ephes. 2. v. 3. per DESIDERIA CARNIS & Jeremias per SITIM c. 2. v. 25. Pagninus vertit: prohibe guttur tuum a siti. Per sitim concupiscentia intelligitur venerea Ecclesiastic. 26. v. 15.

Per GUTTUR vero os vulvæ, quod est insaturabile Proverb. 30. v. 16. maxime fœmellæ sterilis, hinc expresse h. l. clausuræ vulvæ vel uteri mentio fit, h. e. matricis impeditæ, contractæ & infœcundæ, tanquam concubitus magis avidæ, quam cæteræ, propter desiderium habendæ prolis, item insatiabilis instar hirudinis seu sanguisugæ, cujus mentio fit v. 15. antec. seu instar agræ hydropicæ, quæ, quo plus bibit, eo plus sitit: sic harum libido non extinguitur, nec satiatur ipso usu, sed ejus desiderium inde magis excitatur.

Præterea CUBANDI vox velat res nuptas in maritali usu, sive in conjugio, sive extra conjugium: ita Gen. 30. v. 15. κοιμηθήτω extat & 2. Sam. 11. v. 11. κοιμηθῆναι: de stupro quoque usurpatur κοιμᾶσθαι Exod. 22. v. 16. & Deuter. 22. v. 28. 29. de adulterio vero Gen. 39. v. 7. & Num. 5. v. 13. nec non de incestu Gen. 19. v. 32. item de scortatione mascula Levit. 18. v. 22. unde cubile, secundum Dan. Heinsium significat vagum concubitum.

CUBILE itidem seu LECTUS metonymice accipitur pro fornicatione & scortatione, pro actu & tactu peccaminoso in cubilibus exercitato Rom. 13. v. 13. ubi in cubilibus incedere est scortationem sectari. Nam κοίτη non solum cubile, sed etiam concubitum significat seu congressum. vid. Joh. Olearii Exercit. Philol. in Ep. Dom. p. 7. etiam concubitum honestum Hebr. 13. v. 4. scilicet in conjugio.

Germa-

Germanis appellatur ein Huren Winckel/ exempl. Leg. Genes. 49. v. 4. ubi ASCENDERE CUBILE PATRIS, ET STRATUM MACULARE SEU POLLUERE est rem veneream obire, & incestum committere. Leg. etiam Num. 5. 28. & Devter. 24. v. 4. (similiter vocab. εὐνὴ cubile etiam apud profanos autores usurpatur.) Idem verbum μιαίνεσθαι polluere seu inquinare reperitur 2. Petr. 2. v. 10. & Num. 5. v. 13. 14. 27. ubi de adulterio accipitur. vid. Pago.

Vocabulum μιασμὸς excipit μολυσμὸς, quod etiam maculationem & contaminationem notat: ubi metaphora sumitur a sordibus & inquinamentis vestium Apocal. 3. v. 4. quæ difficulter elui possunt, & transfertur ad scortationem 2. Corinth. 7. v. 1. Quælibet enim peccata sunt σπῖλοι maculæ, Ephes. 5. v. 27. hinc conjunguntur σπῖλοι καὶ μῶμοι labes & maculæ 2. Petr. 2. v. 13. & tunicæ carnis maculatæ mentio fit in Epist. Jud. v. 23.

DILATARE CUBILE autem Esa. 57. v. 8. dicitur de meretricibus insatiabilibus, quæ omni in loco venalem habent pudorem, nullumqve amatorem a suo arcent congressu, potius ultro invitant: talis describitur Ezech. 16. v. 31. & seq. Tandem Rom. 9. v. 10. κοίτην ἔχουσα legitur, & cubile seu thorus accipitur pro semine genitali, quod in thoro vir mulieri exhibet.

Ex Hebræorum idiotismo & ἔχειν κοίτην exponunt concipere ac gravidam fieri. Sicut enim Levit. 20. v. 15. vir dicitur δοῦναι κοιτασίαν αὐτοῦ; ita fœmina hic dicitur κοίτην ἔχειν, quando semen genitale in utero excepit, & secum jam retinet.

Post hæc Num. 5. v. 13. uxoris adulterium ABSCONDITUM MARITI vocatur. Dum enim qvis alienas mulieres aggreditur, prolem reddit incertam. Similiter per PANEM ABSCONDITUM Proverb. 9. v. 17. intelligitur victus furtivus in abscondito & injuste partus, mulier scilicet adultera, quam occulte quispiam cognoverat, vocatur panis latebrarum, quia in latebris comeditur. Ita enim Dav. Glado in Regn. Diab. myst. tom. II. p. 8. scribit: es bedeutet verborgen Brodt heimliche Liebe der Hurer und Ehebrecher/ so sie gemeiniglich im finstern und verborgenen verrichten. vid. Osiander in h. l. Panis & aqua dicitur scortum & adulterium, quia optimus cibus est, ac delectatio venerearum rerum dulcis. Sic quoque via adulteræ abscondita vocatur Proverb. 30.

v. 20. comedit, i.e. fruitur concubitu, & tergitos ſuum, eodem modo, qvo qvis cibum furtivum guſtavit.

AST PER AMOREM ABSCONDITUM Proverb. 27. v. 5. Beda intelligit amorem illicitum, turpem, adulterinum, qvem amantes propter turpitudinem ſolent abſcondere. Nam qui male agit, odit lucem: Eſtius vero Comm. in h. l. potius intelligit amorem in corde latentem, & exteriori facto ſc. non prodeuntem.

Et c. 30. v. 18. & 19. etiam amorem refert inter IV. abſcondita, qvæ ſunt I. aqvilæ volatus rectus & agnitu difficilis, qvia ſurſum volat, Leg. c. 23. v. 5. & Sapient. 5. v. 11. II. via ſerpentis, qvæ non recto ſerpit itinere, ſed perverſo & imperſcrutabili, qvia pedibus caret Gen. 3. v. 14. tanta tamen volubilitate & implicatione, tot ambagibus, & ſpirarum complicatione petras aſcendit. III. via navis in maris medio, ſeu corde maris, cujus veſtigia ſtatim confundunt fluctus Sap. 14. v. 3. Pſ. 107. v. 23. 24. 26. IV. via viri in virginem reconditam, vel probe ſervatam, ac domi latentem: alii interpretantur de æſtu libidinis, ſeu affectu amoris vago & inſtabili, qvo juvenes ſolent proſeqvi virgines, alii de puella illibata primo congreſſu a viro cognita, alii viam mulieris adulteræ tanqvam occultiſſimam, ut Rudolphus Baynus, alii ſignificant incerta eſſe virginis veræ aut corruptæ indicia, ut Hugo Grotius, ita Joh. Mercerus Comm. in h. l. intelligit viam ſeu veſtigium viri in puella, ſcilicet jam corrupta. Nam in virgine veſtigium deflorationis extat, in corrupta non item: Alii mira duorum amantium ſponſalia, qui ſæpe nunquam ſe invicem oculis deprehenderunt, intelligunt: alii veriſimilius amoris vim & inſinuationem in affectum puellæ honeſtæ ac modeſtæ. (alias explicationes Theologicas vid. apud Weidnerum tr. 2. de præcip. fid. myſter. p. 156.) Glaſſius in Gram. S. conſilia & machinationes ſcortatoris, virgini inſidiantis, nec non Lavaterus artes abſconditas, qvibus juvenes virgines alliciunt, meditationes ad eas acqvirendas, clandeſtinasqve ad amorem vias interpretatur, ac qvoqve Miſander in Delic. Bibl. ad ann. 1690. Q. 7. ita explicat, leg. etiam Geierus Comm. in Proverb. Salom. p. 1589.

Porro Gen. 34. v. 3. de amore Sichem meretricio dicitur: ADHÆSIT ANIMA EJUS IN DINA, i. e. ardentiſſime amavit eam.

Simi-

Similem in modum de amore Salomonis erga mulieres peregrinas 1. Reg. 11. v. 2. accipitur. In genere quidem adhærere de eo dicitur, quod impenſe amore afficimus. Sic adhæret vir uxori Gen. 2. v. 24. ſcilicet tum animo, tum corpore & Ruth ſocrui Ruth. 1. v. 14. juxta Vulgat. In ſpecie vero de ſincero amore Gen. 44. v. 30. 2. Sam. 20. v. 2. & 1. Sam. 18. v. 5.

ALLIGATA ANIMA JONATHÆ CUM DAVIDE FUIT, ſcilicet propter ſimilitudinem morum & amorum, ut vivere non potuerit, ſi eodem orbetur, hinc amicum appellamus animæ noſtræ dimidium, item animam noſtram, cor noſtrum, quia amantis anima magis eſt in amato, quam in amante, videnturque ambo unam eandemque habere animam, mentem & voluntatem. Actor. 4. v. 32. δύο φίλοι, ψυχὴ μία. Notanter enim ex vocabulorum horum trium transpoſitione DAVIT ET JONATHAS ſequens oritur anagramma: HODIE UNITAS DATA. Leg. 1. Corinth. 1. v. 10. 1. Petr. 3. v. 8. Philip. 2. v. 2. Iſocrates exprimit per ὁμόνοιαν, Papinius vero per ligationem pectorum, hinc Senex ille dicebat: Ego ſum Tu, & Tu es Ego, ſic Paulus vult virum alligatum eſſe uxori 1. Corinth. 7. v. 27.

Vulgatus concinne reddit CONGLUTINATA i. e. amore conjuncta, intimeque adhærens inſtar pulveris Luc. 10. v. 11. Ita quidem, ut videretur ipſius anima glutino affixa, & quaſi in unum compacta cum anima Davidis. Egregia certe amicitiæ eſt deſcriptio. Ita de amore Dei adhibetur Deuter. 10. v. 15. Pſ. 63. v. 9. & 1. Corinth. 6. v. 7. indicatque ejus vehementiam, per quem arctiſſime nos ſibi unit, ſic Deus patribus amore quaſi conjugali conglutinatus eſt, Hebr. Chaſchak eſt propenſo in aliquem animo adhærere; item de adhæſione auditorum in Apoſtolos Actor. 5. v. 13. & 36. & c. 9. v. 26. & c. 17. v. 34. adhibetur quoque Rom. 12. v. 9. dum arctiſſime bono adhærendi admonemur.

Item de amore conjugum dexterrimo, conſortio perpetuo, & aſſociatione individua. Magna quidem eſt conjunctio inter parentes & liberos, cum liberi quaſi pars ſint parentum, ſed major eſt inter conjuges, ex inſtituto divino, non ſine myſtica ſignificatione. Leg. Epheſ. 5. v. 31. & 32. DEus Eccleſiam ſuam habet loco uxoris, a qua vult conjugalem amorem purum & illibatum: ſpiri-

tuali

2448.

tuali hoc conjugio DEo est addicta ac copulata; quod si vero idolis se addicat, non minus conjugii fidem violat, quam si mulier, relicto marito, adultero se prostituat. Hoc de vitio accusantur Judæi Ps. 106. v.28. qui, juxta fontem, conjugati sunt Baal Peor, relicto scilicet suo marito, exponente ita Henr. Mollero enarr. in Psalm. p. 995.

De conjugibus qvoqve usurpatur Matth. 19. v. 3. & seq. Metaphora petita est a rebus, bitumine aut glutine qvodam conjunctis, sicut duo asseres a scriniario conglutinati firmiter cohærent; sic qvoqve conjuges fideles amore constanti inter se sunt uniti, & qvovis glutine firmiori, arcta nempe familiaritate, continua cohabitatione, vitæqve individuo consortio qvasi combinati. Vocabulum hoc etiam reperitur Gen. 2. v. 24. & c. 34. v. 3. c. 44. v.30. 1. Reg. 11. v. 1. & 2. Ps.102. v. 6. (Hebr. Dabac indicat arctissimam adhæsionem) it. Marc.10. v. 7. ita qvidem ut nullis calamitatum tempestatibus amor ipsorum mutuo separetur. Hoc enim innuit verbum προσκολλᾶσθαι, quod habent LXX. i. e. quibusdam qvasi glutinamentis adjungi, hanc emphasin annotarunt Erasmus ac Theodorus.

Amor hic verus & sincerus divinitus inspiratus verum est glutinum, qvo solo conjuges uniuntur: preces autem sunt visci acini, e qvibus fit gluten, ad conjungenda illorum corda, hoc tam firmum existit, ut non nisi morte, imo ne per mortem quidem dissolvi queat, hinc Joh. Ferrus amorem hoc lemmate ornavit: UNIT ET FOVET. Audiatur hic Er. Roterodamus Paraph. in Matth. p. 112. Tam arcta hic est conjunctio, ut e duobus quodammodo fiat unus homo, qvi prius fuerunt duo, itaque semel matrimonio juncti jam non sunt duo, sed unum corpus, ut tam præter naturam sit uxorem a viro divellere, quam membrum a corpore rescindere. Et Paraphr. in Marc. p. 247. reddit: Duo redigentur in carnem unam ita jam corpore simul & animo conglutinati non sint duo homines, sed unus homo, ut tristium ac lætorum omnium sit inter eos communio. Eduard.Leigh. in Crit. S. N.T. p. 347. κολλᾶσθαι explicat per familiariter uti, & se jungere artubus. Unde Ambrosius scribit: vir uxor nexu quodam amatorio inter se copulantur, & quibusdam habenis amoris sibi invicem

cem adstricti sunt : & Joh. Fischartus inquit : Eheliche Heyrath ist die sicherste Fesselung / und das beste Gebiß / welches man der Jugend kan anlegen. Mas autem & fœmina sacri connubii vinculis sunt ligata, ne degerent more feratum, referente Josepho l. 1. ἀρχαιολογίας.

Cum itaque nulla conjunctio arctior existat, quam quæ viri & uxoris est, ideo vinculum hoc indissolubile vocatur Gen. 2. v. 24. hinc Rom. 7. v. 2. & 3. uxor viro viventi devincta esse dicitur: ubi extat verbum δέομαι vincior. Hanc ob causam relinquit homo patrem & matrem, & adhæret uxori, quæ verba, juxta Menochium, intelligenda sunt non de amore, sed de cohabitatione & vitæ consortio. Nam in casu famis vel alterius necessitatis potius patri & matri, tanquam autoribus vitæ, quam conjugi subveniendum est. Joh. Adam Osiander distinguit inter derelictionem ratione quotidianæ cohabitationis, & ratione dilectionis, curæ, sustentationis ac reverentiæ : priori modo relinquit vir patrem, & adhæret uxori, non autem posteriori, de quo Ecclesiasticus loquitur c. 3. v. 17.

Idem fere nervus latet Matth. 19. v. 6. in verbo συζευγνύω CONJUNGO vel unum jugum copulo, ubi respicitur ad ritum veterum, qui jugum matrimonio jungendis imponebant ad significandam concordiam futuram & separationis difficultatem, ut tradit Servius ac Isidorus, hinc conjuges sunt quasi ejusdem jugi partes, juxta Festum. Conjugii itaque vocabulum Græco penitus respondet, servata translatione a jugo, i. e. copula maritali. Conjunxit enim Græc. συνέζευξεν, i. e. conjugavit, vel sub unum jugum copulavit, unde & conjuges dicuntur σύζυγες : aut simile capitur a tauris duobus, in aratro vel curru simul, indivisim, ac perpetuo junctis & alligatis, ut unus alteri in trahendo opem ferat ad tolerandas vitæ œconomicæ molestias in prosperis & adversis.

Quare Ausonius probe monet : par pari ligato, dispar bus bobus nunquam trahitur bene currus Deuter. 22. v. 10. jam fiat applicatio in conjugio ineunte in parilitatem ætatis. dignitatis & mentis, quare Hieronymus notanter loquitur : uxorem pauperem alere, difficile est, divitem habere, tormentum, pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit : difficil, custoditur quod plures

2420.

amant, molestum ergo possidere, quod nemo habere dignetur. Ambrosius ait: conjugium est bonum vinculum, sed tamen a jugo tractum. vid. Nicol. Perottus in Corn. Cop. p. 481. hinc δεσμοὶ sæpissime apud Nonnum nuptias sonant.

Vincula denique hæc etiam in morte sunt indissolubilia: exemplum Leg. in Ant Bosii Roma subterr. p. 55. ubi Nobilis Romanus cum uxore Proba unico sepulchro fuere inclusi hac addita inscriptione;

Hæc proba sortita est, junget & urna pares
Digna juncta viro, digna simul tumulo.

Similiter Emanuel II. Dux Sabaudiæ sepulchro conjugis defunctæ sequentia inscribi jussit:

Discite mortales, omnia mors rapit, præter amorem, sperate amantes, nihil vitalius amari, quam mori, sic amor post funera vivit. Eodem modo in monumento quodam conjugis defunctæ sequens Epitaphium repertum:

Beysammen im Leben/beysammen im Grabe/beysammen im Himmel.
Indivisa tibi quondam & fidissima conjux
Ut fuit in thalamo, sic erit in tumulo.

Potius morte jungi, quam vita dividi, verba sunt Maximi Valerii de conjugali voto ad Philemonem & Baucidem, qui a Jove hospite quicquid rogassent impetraturi, hoc tantum rogavere, ut ne alter alteri superstes esset: quare conjuges olim instante copulatione se invicem ita compellabant: me & te sola mors separabit.

Tandem in Sacra Pagina mulier emphatice cognominatur ADJUTORIUM Gen. 2. v. 18. & Tob. 8. v. 8. simile scilicet naturâ, genio, & ingenio. Desumta est similitudo a membris corporis nostri, secundum Chrysostomum. Sicut enim natura, inquit Joh. de Pinna Comm. in Ecclesiastic. p. 196. ex diversis membris hominem compegit, ad diversa munera obeunda. v. g. oculos tanquam speculatores, manus ad opera exercenda, non aliter etiam eidem corpori aliud quoque instrumentum adjutorium dedit ad filiorum procreationem, & ad muliebria domestica munera obeunda. Si itaque uxor instrumentum homini datum est, non aliter ac reliqua corporis membra, quantumcunq; ad diversum munus, amanda est non aliter ac reliquæ corporis partes. Cui subscribit Andr.

Rivetus Exerc.23. in Genes. p.99. D. Joh. Olearius ita explicat, juxta fontem, quasi auxilium certum & solidum, vid. Ps. 27. v. 9. quemadmodum brachiis aliquem sustentare & velut fulcris servare solemus: ideo Targum adjutorium reddit fulcrum, & Chaldæus sustentaculum, & quidem ita, ut sit coram eo, h. e. semper adstans præsto sit ad correspondentiam ejus. vid. ejus univ. Theol. p. 406. munusque auxiliatrices ac mutuas operas illi præstet, exponente Dieterico in antiq. Bibl. V. T. p.506. Addere hic libet, quæ annotavit Weihenmeierus in der Catech. Ubung: Die Rabbinen schreiben von dem Wort Ischah, daß der Göttliche Nahme Jah darinnen begriffen / welcher des Allerhöchsten seine Gegenwart anzeiget / damit anzudeuten / wenn Isch der Mann und Ischa das Weib nach GOttes Willen und heiligen Leben leben / so wolle er bey ihnen seyn / sie beschützen und bewahren.

Insuper Salomon Proverb. 22. v. 14. & c. 23. v. 27. meretricem seu pellicem (quæ a pellendo denominatur, quod justam conjugem thalamo pellat) appellat FOVEAM vel FOSSAM PROFUNDAM, scilicet ob periculum, juxta nonnullos. Nam in foveam cadere est in exitium præcipitari Esa. 24. v. 18. & Matth. 15. v. 14. Sic Augustinus inquit: fœmina fuit ab initio peccati aucupatrix, eritque semper inexhaustus malorum fomes. Geierus Comm. in h. l. explicat de inextricabili libidinum vagarum pernicie, & quidem sub imagine voraginis profundæ, in quam facilis est lapsus, sed difficillimus reditus. Sicut enim feris fossæ ac foveæ parantur a venatoribus, ut illabantur inopinato & ineluctabiliter: sic quoque a callidis meretricibus voragines perniciosæ pro insidiandis ac capiendis amasiis incautis, hæ ita argute contectæ sunt, ut non animadvertantur, donec aliquis inciderit. Corn. a Lap. ait: os meretricis est quasi os barathri, imo quasi vestibulum inferni, ut, si in os meretricis incidas, casurus sis in amores & tricas meretricias, ex quibus nunquam te extricabis, ac tandem in barathrum inferni, ex quo per omnem æternitatem emergere non valebis, quia fossa hæc adeo profunda est, ut careat fundo, i. e. est æterna: per os vero meretricis intellige oscula, nutus, eloquia, cæteraque oris & vultus blandimenta, quibus meretrices, quasi lynces, viros ad se rapiunt, ac dementant.

Juxta alios vero Salomo meretricem foveam vocat, quasi pecunia inexplebilem. Nam semper plura postulat, qua de causa meretrices dicuntur procaces, ab assiduo poscendo. Verbum enim procare idem est ac poscere, juxta Sextum Pompejum Festum in fragmentis: eadem ratione quoque nominantur petulantes, quia petulantia dicta est a petendo M. Tull. de Rep. l. IV. LXX. interpretantur per πίθ☉ τετρωμέν☉ dolium perforatum, quod replere nemo potest.

Consentit hic Ecclesiasticus c. 9. v. 3. ubi, secundum versionem Vulgatam, MULIEREM MULTIVOLAM cognominat, quæ multos vult amasios, quibus quidem fit lassata, sed non satiata. Alii interpretantur: ad mulierum concupiscentiam evolantem, Græce ille vocatur ἑταιριζομένη, quæ scilicet amat multos ἑταίρους i. e. socios vel amasios.

Quare insatiabilis est instar hirudinis seu sangvisugæ insaturabilis, cujus mentio fit Proverb. 30. v. 15. quæ adeo sanguinis est cupida, ut per aquas transeuntium pedibus adhæreat, suaque, quam in ore gerit, fistula, Vesalio observante, cutem perterebret, & sanguinem haud sugere desinat, donec penitus expleta decidat aut crepet, juxta Zehnerum Cent. I. adag. 89. Sic quoque se habet os vulvæ, juxta v. 16. scilicet sterilis meretriciæ fœmellæ, tanquam magis avidæ, secundum Cartvvrigtum. Notum enim est scorta ac prostibula non parere solere liberos, sed plerum infœcunda esse, ac sterilia se efficere, hinc eorum libido vix satianda, eam ob causam concors Medicorum ac Philosophorum sententia est, fœminas viros salacitate, avidaque libidine antecellere, idque tum propter levitatem naturæ, tum propter copiam humoris, tum propter carnium mollitiem, tum propter gulositatem, otium & ineriam, quæ salacitatis fomenta sunt, hinc sæpe veneris ardore in furorem uterinum dictum incidunt. Leg. Sinibaldus in geneanthrop. l. 2. c. 5. p. 136. & 637. Galenus lib. 11. de util. part. & Albert. Magnus l. 8. de animal. c. 1.

Adulteram contra prædictus Rex sapientissimus cognominat PUTEUM ANGUSTUM, ac perniciosum; (epithethon certe est maxime conveniens) ex quo scilicet difficile sit emergere, unde non patet exitus, nec propter angustiam quis se de latere in latus potest

verte-

vertere, verbo; exitium significat inevitabile, difficultatesque ac summa pericula. Puteus enim hic contectus est voluptatibus, ut non animadvertatur, donec aliquis inciderit.

Idem Proverb. 2. v. 16. & c. 5. v. 20. EXTRANEAM & PEREGRINAM meretricem appellat, nec non c. 23. v. 33. prout interpretatur Piscator ac Salomon Jairus, nec non Hebræi simpliciter, quia olim meretrices utplurimum peregrinæ erant, observante Donato ad Ter. Andr.

Proverb. 5. v. 20. c. 6. v. 24. & c. 7. v. 5. vocat ALIENAM, i. e. aliam a thoro, quæ uxor tua non est, nec ad thorum tuum pertinet, sed commune prostibulum aliis omnibus expositum, cujus usum tibi Deus minime concessit, hinc adulterium dicitur, quasi ad alterum thorum.

Proverb. 23. v. 28. nominat PRÆDATOREM INSIDIANTEM, ubi metaphora ducta est ab hostibus & militibus insidiantibus, & prædam abducentibus: Similem in modum insidians ad domum proximi vocatur adulter Job. 31. v. 9.

Denique Nahum. 3. v. 4. meretrix duo distincta habet epitheta. Vocatur enim καλὴ ϰ̀ ἐπίχαρυ, SPECIOSA & GRATA, hodie de bonne grace, quia fucis unguentis ac pigmentis plurimum utitur, quibus juvenes allicit, sibique quasi mancipare solet.

Non loquar de impudicitia in gestibus, quæ a Spiritu S. appellatur FRONS MERETRICIS. Cum enim frons antiquitus haberetur sedes pudoris, ideo frontem scortantis habere dicuntur illi, qui sunt pudoris expertes & absque verecundia peccant, ut meretrices, quarum impudentiæ signum in vultu seu fronte conspicitur. Leg. Ehrenholds zufällige Gedancken p. 7. Olim mos erat, ut meretrices incederent operta facie, propter facinora impura, prout patet Gen. 38. v. 15. imo non solum in cellis suis in fornice, sed etiam in frontalibus earum nomina erant inscripta, quo indicabant, ut cuilibet liber aditus pateret, velut ex Tertulliano, Martiali & Juvenali refert Durandus, uti qvoq; fecit purpurata meretrix Babylonica Apocal. 17. v. 5. D. Henr. Müller im leidenden JEsu p. 119. scribit: Es wurde vor die eusserste Unverschämligkeit gehalten/ wenn einer mit blossen Haupte zu den Hurenwirthen gieng/ daher wird beym Jeremia der unverschämten Huren-Stirn gedacht.

2424

dacht. Sic quoque juxta Erasmum in Adag. p. 316. perfricta frons nota est impudentiæ, velut pudore manu absterso a vultu.

Huc spectat quoque FRONS DURA ET ÆNEA Esa. 48. v. 4. quam interpretes appellant ejus, qui quodvis impium, inurbanum aut indecorum facere, aut pati audet, repugnantibus omnibus monitis: vel, uno verbo, obstinatum & inverecundum animum designat. Leg. Proverb. 7. v. 13. juxta fontem roboravit, i. e. durum posuit vultum suum.

Sic quoque ad meretrices quadrat Proverbium Sacrum: FURARI COR ALICUJUS, h. e. blandimentis variis amorem alicujus sibi conciliare, quod alias de Absolone dicitur, 2. Sam. 15. v. 6. Libidinosiores autem, ut dixi, in genere fœminæ sunt viris, etiam in animalibus, juxta assertionem Isidori Orig. l. 11. c. 2. unde nimius amor apud antiquos fœmineus vocabatur. Olim a Lupa Romuli nutrice & meretrice apud Romanos meretrices lupæ vocabantur, & loci, in quo versabantur, lupanaria. Hodie quoque turpitudinem rei tegimus honestioribus vocabulis, v.g. Madres est militibus nostris scortum, non quidem vilissimum, sed quod uni adhæret.

Judith. 9. v. 10. fœmellarum sermones Amatorii ac adulatorii vocantur LABIA CHARITATIS, autore Pagnino, quæ blando alloquio alliciunt amasios. Nihil autem magis ex arce dejicit animum virilem, quam blandimenta fœminea & corporum illiciti contactus, inquit Augustinus, ut patet exemplo Salomonis 1. Reg. 11. v. 3. Joh. de la Haye Comm. in Exod. tom. 1. p. 395. notanter, inquit, Apocal. 9. v. 7. Johannes de quibusdam locustis scribit habere eas facies, fœmineo vultui similes, & nihilominus venenum in cauda. Quid suavius facie muliebri? & tamen eis inest venenum, quo nihil acrius. Hoc quoque adulatorum proprium, ut sub blanditiarum velo venenum obtegant, & tunc maxime lædant, cum minime se fingant læsuros.

Meretricum autem verba vocantur LÆVIA Proverb. 7. v. 5. & 21. propter verba mollia ac blanda, & ad capiendum idonea, vid. c. 2. v. 16. & c. 6. v. 24. LXX. utuntur vocab. λεῖος i. e. lævis, instar asseris dolabrâ lævigati. Mart. Geierus Comm. in Prov. p. 102. ita explicat: tam molles scorti sunt sermones, ut instar lævigati cujus-

dam

dam teli insensibiliter quasi descendant ad intima hominis, penetrentque ceu lubricum aliquod oleum, atque sic animum, sapientiæ hujus scuto non præmunitum, facile corrumpant.

Item LABIA MEL STILLANTIA dicuntur Proverb. 5. v. 3. quarum sermo ad blanditiem & illecebras fallaces compositus laqueus est mellitus, hinc Plautus ait: in melle linguæ sitæ sunt vestræ: & Hugo Victorinus: in favo mellis duo sunt, scilicet mel & cera: in facie meretricis similiter duo sunt, scilicet decor & gratia, h. e. pulchritudo oris, & dulcedo sermonis. Cera succendit ignem, mel præbet dulcedinem; sic pulchritudo meretricis igne libidinis inflammat carnem, blandimento lenocinantis sermonis subvertit mentem, stillat mel ex cera, dum meretrix verba sua mollit & facit dulcia: interim illecebris his meretriciis inest gutta mellis, quæ vertitur in mare fellis.

Huc congruit sententia Diogenis, qui scorta dixit esse similia mulso, lethalibus venenis temperato, eo quod afferrent initio quidem voluptatem, sed consequentem dolorem perpetuum. Etenim verbum est vehiculum mentis, verba hæc dulcia effluunt instar sacchari in animum audientis, eumque totum dulcedine sua penetrant, imbuunt, alliciunt, & in sui amorem rapiunt, unde Seneca: habet suum venenum blanda oratio: & Cyprianus: cantu mulieris impudicæ tolerabilius est audire basiliscum sibilantem dulcis etiam est Siren ac mel lethale. Visu est Basiliscus, & voce Siren: visu dementat, voce incantat, utroque perdit ac necat.

Per labia itaque Salomo cantillationes, compellationes, confabulationes, & sermones meretricios intelligit, quæ copiose stillant, sicut cœlum pluviam Judic. c. 5. v. 4. Sicut per palatum, quod oleo lenius, in verbis sequentibus, verba blanda e palato prodeunt ac gratiosa, quibus siliceum emolliunt virum, corporis robur viresque animi frangunt, hæ mille nôrunt artes blandiendi ac devinciendi sibi amasios, nunc per faciei fictiones, nunc per ornatum vestium, nunc per pulchritudinem, mollitiem & elegantiam verborum.

Sidera tot non habet cœlum, non flumina pisces,
Quot scelerata gerit fœmina mente dolos.

Cum

2420.

Cum enim mulier non polleat viribus, hinc ad dolos se convertit, ut, quod illis non potest, hisce perficiat. Apposite scribit Corn. a Lap. Comm. in Prov. Sal. p. 105. mulierem quid serpentinum habere; videtur serpens Evam seducens illi totique sexui indolem suam & fraudes inhalasse, inde indies decipiendi artes excogitant, ut totæ ex fraudibus consutæ videantur. leg. Ecclesiastic. 25. v. 21.

Petrus 2. Ep. c. 2. v. 14. vocat INESCANTES MULIERES, quæ verbis adulatoriis persuadent & alliciunt, ut Syrus reddidit, & ad peccata invitant Jacob 1. v. 14. Simile deductum est a piscatoribus vel aucupibus, qui inescant pisces & aves, ac postea capiunt, talis quoque libidinosa existit, juvenes alliciens, cujus ingenium depingit Rex prudentissimus Proverb. 7. v. 10. &c. & c. 9. v. 13. &c. qualis fuit Delila Judic. 16. v. 16. Ergo fœmellam prius probe delige, quam dilige.

Quemadmodum vero apes cum melle simul aculeum gerunt graviter pungentem, sic quoque meretriculæ blandæ una cum labiis dulcibus laticem simul propinant venenatum contagiosumque, intellige si lue maligna sunt contaminatæ. Quod si enim tota massa sanguinea earum est infecta, infectum quoque est serum, ac consequenter sudor & saliva illarum virulenta est, ac contagiosa, hinc infectio fit a lasciva collabellandi actione & osculis salivalibus, sicuti etiam a poculis ac cochlearibus, salivâ ibidem abstersâ malignâ, hinc non pauci sunt, qui pustulas atque exanthemata contraxerunt admotis ori cyathis, quibus infectorum saliva adhæserat, quare Indi sequenti utuntur præservatione a Petro della Valle in Itiner. P. IV. p. 29. descripta h. v. Die Jndianer haben ein Mittel erfunden/ wie man aus einem andern Gefäße ohne einige Verunreinigung trincken könne/ und geschicht also/ daß im trincken das Geschirr weder die Lippen noch den Mund dessen/ der da trincket/ berühre. Sie halten das Gefässe mit der Hand hoch über den Mund/ und wer dasselbe am höhesten auffheben/ und am weitesten vom Munde halten kan/ der wird für den Geschicktesten gehalten/ und giessen also das Geträncke aus dem Geschirre in dem Mund/ ohne Verschittung offters einiges Tropffens. Quod etiam recenset Robert. Knoxius in itin. Ceilon. p. 183.

Quare

Quare Basilius formosorum, ait, oscula cavere oportet, non secus ac venenatorum animalium morsus. Diffunditur enim virtus ex osculo in omne corpus. Oscula adulteræ & meretricis osculum Judæ sunt, ac sumentes perdunt. Sunt enim venenati cibi, melle ac saccharo contecti, qui dum placent gustui, exitium afferunt, & Salomo monet Proverb. 31. v. 3. ne dederis mulieribus substantiam; i. e. non solum opes, sed & carnem & sanguinem tuum. Meretrix enim tanquam vorago facultates sorbet ac vorat, sed etiam fornicatio exhaurit corporis vigorem, spiritus & sanguinem, illud emaciat ac absumit, imo lue venerea afficit, multisque morbis inficit. Extus quidem hæ fuco nitent, intus vero malis sordidis ac verminosis putent, quos amasiis afflant, ut vere meretrix nihil aliud sit, quam caro spurca, per cutem speciose translucens, detrahe pellem, & videbis, quam putida subsit caro, quale sterquilinium sit in ventre, quale phlegma per os, nares, &c. &c. distillet.

Nil dicam de saliva verminosa, quale exemplum sputi verminosi Leg. in append. ad ann. IV. Decur. II. Ephem. Germ. p. 195. Si enim sanguis est corruptus ac verminosus, vermes quoque in omnibus corporis partibus reperiuntur, sic de vermibus minutissimis in sanguine febribus malignis ac putridis affectorum. Leg. Petr. a Castro de febr. malingn. sect. 1. §. 11. Nic. Andr. Doctor Parisiensis in tract. de generat. verm. in corp. H. & Athan. Kircherus in scrutin. pest. c. 8. & 83. D. Joh. Dolæus vermiculantem vidit salivam ac fœtidam, quam scorbuticus exspuebat, ac Christ. Franc. Paullinus in Observ. Medico-phys. Cortnummus, Myssenbruchius & Anton. Lewenhoek uvinæ & seminis verminosi ejectionis in lue venerea meminit, unde continuus libidinis pruritus ac stimulus juxta Aug. Hauptmannum ortus fuit. vid. Tentzelius in Monatl. Unterred. ann. 1693. p. 29. & 30. & Act. Erud. Lips. M. Octobr. 1686. p. 475. &c.

Porro peccata quidem omnia enormia Jacob. I. v. 21. vocantur ῥυπαρία IMMUNDITIES, ubi vocabulum ῥύπος non solum proprie sordes nigras in summitatibus digitorũ sub unguibus collectas, aut particulas crassas post sudores in cute relictas, 1. Petr. 3. v. 20. quæ postea applicantur ad sordes animi & animæ; sed etiam ulceris genus sordidum notat; Sic quoque iniquitates corruptæ carnis nostræ fœ-

 dissima

2428.

dissima sunt excrementa, Eundem in modum C. Sanctius Comm in Esa.1.v.6. per livorem, qui est humor putris intra cutem collectus, intelligit peccatum occultum, per plagam tumentem vero peccatum diuturnum, quod jam putet ac fœtet. Quod & approbat Hieronymus, dum vertit, tumens, quia tumor ab ali quo humore sanioso ac putri provenit.

Homines vero extremæ impuritatis ac improbitatis in divinis literarum monumentis CANES ac PORCI appellantur, ut Apocal.32.15. & 2. Petr. 2.v.22. quia animalia sunt immunda Levit. 11, v. 27. & Deuter. 14.v.8.

Sic etiam Gerhardus interpretatur: qui vitam ducunt obscœnam & impuram. Isidorus Pelusiota: qui vitiosis affectibus volutantur & porcinum vitæ genus seqvuntur: Cum vero proprium suis sit libidine prurire, Barthius l. 24. advers. c.5. explicat: qui effreni & belluina indulgent libidine: Deinde sicut porci delectantur luto & sordibus, sic impuri homines luto voluptatum, ac sordibus lasciviarum, in quibus cum scortis volutantur.

Denique peccatum Onaniticum Genes. 38. v. 9. (quod non manu petulanti ac lasciva, ut vulgo ac falso tradunt, sed in conjugio fuit peractum, ac consuetudine conjugali scilicet retrahendo se, dum semen in agrum naturæ spargere recusaret.) Paulus nominat *ἀκαθαρσίαν* seu IMPURITATEM Ephes.5.v.3. & 5.Coloss.3. v.5. quæ secundum D.Luc. Osiandrum multas species impudicitiæ, præsertim occultioris complectitur: ac Galat. 5. v.19. & intelligit, juxta Rauppium, omnes venereas delectationes, quæ extra legitimum ac matrimonialem congressum quoque modo quæruntur aut exercentur.

Item *μολυσμὸν σαρκὸς* CARNIS MACULATIONEM, seu contaminationem.

ἀκαθαρσίας autem vocabulo sæpe in N. T. juncta est vox *ἀσέλγεια* ut 2. Corinth.12.v.ult.Ephes.4.v.19.& Galat.5.v.19.effrenemque notat libidinem, procacitatem & petulantiam hominum incontinentium, annexamque obscœnitatem in dictis factisqve, qva interior libido se prodit, sic 2. Petr.2 v.15. & 18. significat profusissime libidinosum esse, flammis & incendiis venereis indulgere, ac immodice se dare in fœdas ac infandas libidines & stupra violen-

ta

ta, quæ naturali honeſtati repugnant. Denominatur ita ab urbe Selge, a Lacedæmoniis condita, cujus incolæ profligatiſſimæ fuere nequitiæ, improbi ac petulantes, teſte Suida ac Junio. Plinius l. 15. Hiſt. Nat. c. 7. olei Selgitici mentionem facit, quo populi iſti uſu fuere ad confortandos nervos, per venerem ac libidinem infirmatos. Rom. 13. v. 13. inter opera noctis & tenebrarum annumeratur: ſecundum Grotium hæc vox ἀσέλγεια late patet, & omnia comprehendit, quæ laſcive ab libidinoſe fiunt, contra ſexuum leges, ſic etiam Æſchines contra Timocratem hoc ſenſu eadem utitur: juxta Glaſſium in Gr. S. l. 3. ſignificat indeſinentem laſciviam. Syrus denique reddit putredinem, fœtorem, quia corpora humana ex laſcivia fœtida fiunt & quaſi putreſcunt.

Ἀσέλγειαν excipit ἀκράτεια i. e. intemperantia, quando animus, quaſi œſtro quodam percitus & laſcivia inflammatus voluptatibus carnalibus ac impuris & effrenatis libidinibus implicitus continere ſe non poteſt.

Aſt SODOMIA ἐξοχικῶς peccatum dicitur, & in Sacris Sodomitæ ἁμαρτωλοὶ peccatores coram Domino Gen. 13. v. 13. i. e. manifeſti, inverecundi, eximii & graviſſimi, quia, quæ DEi ſunt, vel coram DEo, hæc certe magna exiſtunt. Etenim non ex imbecillitate, ſed ἐκ προαιρέσεως, conſulto, & dato opera, non clandeſtine, ſed palam, in DEi ac Solis conſpectu, absque ullo metu, enormiter & iteratis vicibus flagitia hæc exercebant; juxta Pagninum vocantur peccatores admodum, & Eſa. 2. v. 6. appellantur: qui pueris alienis adhæſerunt, prout explicat Hieronymus, Rupertus, ac Haymo, & c. 3. v. 4. Vulgatus ac Menochius vertunt effœminatos, LXX. habent ἐμπαῖκται i. e. illuſores, qui corporibus illudunt, illisque ad libidinem abutuntur. Aquila ἀναλλάκτους exponit i. e. permutatores, mutantes ſcilicet ſe per vices in exercenda turpitudine.

Eſt autem Sodomia congreſſus turpitudo contra naturam, Italis hodie admodum vulgaris, unde peccatum Italicum vocatur, ac ſpeciatim beſtialitas: celeberrimus Theologus Jenenſis D. Mylius nuptias nominat Romanas (Romanizare enim eſt Sodomizare, inquit Monachus quidam Ingolſtadienſis) item facetias Florentinas. B. Hül-

2430.

ſemannus vero delicias Beneventinas. De Roma notabilis hanc in rem extat verſiculus

Roma, quod inverſo delectaretur amore,
Nomen ab inverſo nomine cepit amor.

Et Claudius Eſpenſæus ſcribit : ubi ſub ſole major malorum omnium licentia, clamor, impuritas, ne dicam infamia & impudentia, quam Romæ?

Teterrimum profecto hoc eſt vitium caſtis auribus ac mentibus, & ſcitu & auditu horrendum, abominandumque, ut loquitur Hulricus Epiſcopus Auguſtanus in Epiſtola quadem, ortum debere creditur Cretenſibus, quibus iſti facinori nihil turpitudinis ineſſe perſuaſum fuit; graſſatum quoque hoc grande nefas inter Turcas ac Perſas, teſtis eſt Gottfried Schultz in der Welt-Beſchauung/ p. 439. & 455.

Hujus figuraliter mentio fit Thren. 5. v. 13. Hieronymus vertit: JUVENES AD MOLENDUM RAPUERUNT, i. e. adoleſcentibus impudice abuſi ſunt. Quemadmodum enim v. antec. 11. Propheta loquitur de ſtupro & adulterio; ita v. 13. de Sodomia. Molendi autem vocabulo utuntur Ebræi in re obſcœna, ut ſupra oſtenſum.

Sapient. 14. v. 26. vocatur PECCATUM MUTUM, vel infandum, quia ſceleris magnitudo officium linguæ vincit juxta Lactantium l. 6. de vero cultu, ſeu quia a Chriſtianis dici haud debet. Epheſ. 5. v. 3. græce dicitur γενέσεως ἐναλλαγή nativitatis immutatio, ubi per Metonymiam effecti pro cauſa per nativitatem ipſe actus generandi ſeu mixtura carnalis, qua nativitas procuratur, intelligitur.

Paulus Sodomiticum ſtuprum appellat ἀσχημοσύνην i.e. turpitudinem ſecundum excellentiam Rom. 1. v. 27. quippe a quo animalia ratione carentia abhorrent, imo furor eſt contra naturam pugnans, hinc Apoſtolus exarſiſſe eos dicit loc. alleg. Flamma enim eſt ardens. Leg. Benedict. Aretius Comm. in h. l.

Interim Joh. della Caſa, Archiepiſcopus Beneventanus & Papalis Cameræ Decanus, librum edidit publice anno 1550. de Cazzaria i. e. de laudibus Sodomiæ, in quo ſcelus hoc artem nominat & ſe non alia Venere magis delectari jactat. Iſte quidem a Paulo

IV. Pon-

IV. Pontifice Romano initio filius obedientissimus Romanæ Curiæ proclamatus, & in numerum Candidatorum Cardinalium receptus, sed postea ob vitam brutalem & scripta impudica iterum exclusus fuit, unde sequens Distichon ejus gratia scriptum:

Mente fui magnus, decore impar, lumen honori,
Abstulit ipsa Venus, quæ dedit ingenio.

Similiter Grappa & Anastasius Scriptis publicis Sodomiam commendarunt, ac Julius III. approbavit apologiam hoc pro scelere. Sixtus denique IV. Papa Sodomita fuit, concessitque illud flagitium familiaribus Cardinalibus tribus mensibus æstivis exercendũ, teste Cornelio Agrippa. Ast rectius taceri debet atrox hoc crimen, unde D. Olearius scribit: Es redet die Heilige Schrifft züchtig und vorsichtig von der Schande/ welche GOtt und die Natur will unerkand/ unbekand/ und vor züchtigen Ohren ungenannt haben/ darumb sie solche auch stumme Sünden nennet/ & D. Pfeifferus in Pansophia Mosaica p. 629: Stumme Sünden haben nicht den Nahmen/ daß man gäntzlich davon stillschweigen soll/ sonst hätte sie der heilige Geist auch nicht gerüget/ sondern weil man von derselben eigentlicher Beschaffenheit/ umb derselben willen/ die noch keine Kundschafft davon haben/ behutsam reden soll/ daß keiner dadurch geärgert werde. Lege quoque ejus Antimelanchol. cum P. I. p. 170. it. Dannhauer. in lact. catech. p. II. p. 266.

Hinc Lothus honeste vocat MALUM Gen. 19. v. 7. & Ezechiel ABOMINATIONEM c. 16. v. 49. & 50. Judic. 19. v. 23. appellatur STULTITIA detestandum hoc flagitium. Etenim Scriptura stultum vocat hominem sceleratum, impium, flagitiosum, qui Deum nec agnoscit, nec timet, quod inprimis in Proverbiis Salomonæis videre est.

Genes. 18. v. 20. dicitur PECCATUM VALDE, juxta fontem, scilicet per ἄυξησιν i. e. ultimatæ malitiæ, quæ ultra humanam infirmitatem ascendit, secundum quam alias omnes homines sunt peccatores Rom. 9. v. 3. & c. 7. v. 23 & Genes. 19. v. 13.

PECCATUM CLAMOSUM, quia flagitium hoc magnitudine sua, etiam peccatore tacente, clamat, Deumque quasi excitat, & ejus iram

iram acuit, ut vindicet, juxta Ambrosium, juxta versic.

Clamitat in cœlum vox sanguinis & Sodomorum.
Vox oppressorum, merces detenta laborum.

Leg. Genes. 4. v. 10. Exod. 22. v. 23. Devter. 24. v. 14. 15. & Jacob. 5. v. 4. Quemadmodum enim homo sobrius ægre fert clamores incomtos ebriosorum rusticorum: sic peccata, quæ sunt veluti inconcinni clamores, offendunt Deum. vid. Hieron. Magium integro volumine de Sodomitico scelere edito.

Petrus denique 2. Epist. c. 2. v. 8. ἄνομα ἔργα INIQUA FACTA vocat Sodomitica peccata: pari ratione LXX. τῶ ἀνομεῖν utuntur de actu venereo, scortatione, adulterio, Ezech. 22. v. 11. & Dan. 13. v. 38. Lutherus vertit: Schande / vid. Georg. Crauseri Phosphorus p. 229.

Qvale detestabile malum Romæ haud fuit rarum, ubi magis ridebatur, quam puniebatur, hinc Rom. 1. v. 27. Apostolus illud expressit. Exempla vero in Sacris leg. Gen. 9. v. 4. 5. & 8. ad hunc locum Ambrosius ita: Offerebat S. Lothus filiarum pudorem. Nam etiamsi illa quoque flagitiosa impuritas esset, tamen minus erat secundum naturam coire, quam adversus naturam delinquere. Andr. Prücknerus vero in vindic. h. l. inquit: peccavit Lothus, filias suas prostiturus, peccatum hoc Deus nunquam jussit aut approbavit, cavendum, non imitandum proposuit, cui consentit B. Lutherus enarr. in Gen. 19. plura leg. in Aug. Pfeiffer. Melanch. alt. l. 2. p. 356. &c. sed hæc Theologis relinquimus.

Alterum Sodomiæ exemplum vid. Judic. c. 19. v. 22. & 24. Tales quoque erant in populo Dei, juxta sententiam interpretum 1. Reg. 14. v. 24. c. 15. v. 12. & c. 22. v. 47. Devter. 23. v. 17. & 2. Reg. 23. v. 7. ubi Pagninus reddit scorta mascula, Olearius vero abominandæ libidini consecratos. Joh. Lightfoot l. 3. p. 80. non quidem reliquias civitatis Sodom, sed æmulatores abominationum istius civitatis. Hoc sensu quoque Esa. 1. v. 10. Propheta vocat Judæos Principes Sodomorum, quia peccato huic nefando dediti fuerunt.

Denique hujus Sodomitici mali mentio fit Dan. 11. v. 37. Non enim curabit honestum matrimonium, sed inhonestum veneris exercitium, juxta interpretationem B. Lutheri in Gloss. Marg. & Epist. Judæ v. 7. ubi carnis alterias mentio fit, de qua supra.

Talis-

Talis Sodomita ex mente nonnullorum fuit Ger, Judæ primogenitus Gen. 38. v. 6. contra naturam abutens uxore extra vas muliebre, non propter prolem obtinendam, sed solius delectationis carnalis gratia, ut loquitur Andr. Acoluthus lib. de aq. amar. maledict. incurr, p. 418. quod probare volunt ex v. 7. ubi vocatur malus coram Domino, quod cognomen seu epitheton est Sodomitarum Gen. 13. v. 13. in profanis Sodomiæ vitio Trajanus Imperator olim insignis fuit, autore Baronio l. 2. Annal. hujus enorme quoque exemplum extat apud Svetonium in vita Neronis c. 28. & 29. & in Theatr. Zvvingeri Vol. 7. l. 3. p. 1249. &c. Plura etiam de venere masculo vid. apud Wolfg. Franzium de interpr. Script. S. p. 459. & Dannhauerum in Theol. Consc. P. II. qui vero hæc legere cupit, hunc cum Iobo oportet fœdus cum oculis pangere c. 31. v. 1. cum Nazianzeno oculos auresque σωφρονίσαι, os immune, & linguam virginem servare, semperque animo recolere dictum Paulinum 1. Thessal. 4. v. 4.

Tandem horret animus & Christianis merito incutit ruborem meminisse mulierum in mulieres exardescentium, maritalibusque voluptatibus haud contentarum, sed sexus officia commutantium, quarum Paulus meminit Rom. 1. v. 26. quæ mutaverunt naturalem usum i. e. præter ac contra innatam aut ingenitam earum proprietatem, ad quam & cum qua divinitus conditæ sunt, explicante ita Flacio in Clavi Script. S. de quibus leg. Plempius l. 2. de fundam. Med. & Helvvigius Observ. 138. Notandum hic est, quod M. Andr. Beierus cultum Baal Peor Num. 25. v. 3. τριβαδικὴν ἀσελγίαν nominet i. e. tribadum insanam libidinem, ubi Moabitarum fœminæ idolum hoc turpi quadam veneratione colebant, ac priapo libidinis pruritus excitabant. In fonte adhibetur vox Nitzmath i. e. conjunctus & copulatus est, quod de conjugibus proprie usurpatur, vid. quoque 1. Reg. 15. v. 12. & 13. ac marginalis glossa B. Lutheri, Pagninus vertit scorta mascula, Tertullianus vocat fricatrices, cujus fœdæ libidinis Kornmannus meminit, libello, quem inscripsit, linea amoris p. 134.

Frictio hæc fit clitoride (ad hujus explicationem uberiorem peto castas aures, cum naturalia non sint turpia: Cur non liceat has partes enodare, quas Deus non puduit creare) Clitoris proinde

in sta-

2434.

in statu naturali, substantia, situ & figura penem exacte refert, sola magnitudine ac perforatione differens, hinc & Pseudovirga muliebris appellatur, estque caruncula quædam dura, nervosa, Hippocrati columella, Avicennæ virga dicta, particula nempe exigua, carnosa, teres, sita in apice alarum seu nympharum, in pubis parte media, in fine superiore rimæ magnæ, vid. Tab. Jul. Cass. Placentini p. 80. fig. 2. & 3. In hujus extremitate glans est subtili cute quasi præputio recta, accepit quoque venas arterias & nervos ad sanguinis & spirituum insinuationem, hinc erigitur ac detumescit, dum vero erigitur, voluptatem excitat, venerisque excitat igniculos, hinc œstrum veneris, dulcedo amoris, libidinis sedes ac irritamentum vocatur, exempla Leg. in Fr. Plazzoni lib. de part. generat. p. 157.

Interdum vero clitoris hæc vitiose augetur ex affluxu copioso sanguinis & humorum acrium, salsorumve, spirituumque sylvestrium seu flatuosorum mixtorum, præsertim in virginibus lascivis ac viduis junioribus sanguineis, ita Th. Bartholinus in Epist. observavit clitoridem satis prolixam, ut & Nic. Tulpius in obs. l. 3. p. 253. hinc abutuntur eadem sæpe fœmellæ, fœdisque libidinum ardoribus inflammantur, consulatur hic Bartholinus in anat. Reform. Plempius l. 2. fundam. Med. ac Helwigius obs. 138.

Quandoque vero præternaturaliter in nimiam excrescit molem, observante Platero. l. 3. alia exempla collegit Regnerus de Graaf. de organ. mul. p. 18. 19. tunc libido insatiabilis in his concitatur. Unde morbosa hæc excrescentia operatione chirurgica indiget, quæ nymphotomia dicitur (nonnullis enim clitoris nympha dicitur, quia supra alarum seu nympharum commissuram sita, excrescentia ejus appellatur nymphæa, seu nymphiasis. Leg. Sinibaldi geneanthr. p. 444. furor uterinus inde ortus nominatur nymphomania, & sectio ejusdem nymphotomia.)

Aufertur autem clitoris vel ferro per sectionem, vel filo serico, seu crine equino per ligationem, seu quotidianam constrictionem, donec emoriatur, ac sponte decidat. Modum amputandi tradunt Ægineta & Ætius, Avicenna, Schultetus, Wierus, Severinus, Rodericus a Castro P. II. p. 279. & Aquapendens p. 277. Orientales quoque etiamnum ob enormem magnitudinem urunt

clito-

clitoridem, ne amplius crescat. Malum hoc Arabibus Ægyptisque fœmellis vernaculum est, hinc virginibus nupturis exscindunt, partis vero hujus circumcisionem Æthiopibus usitatam docet Alpinus, Paulus Jovius, Joh. Wild. l. 3. Itinerar. c. 21. D. Otto Dapperus in descript. Arab. p. 530. munus hoc obeunt vetulæ quædam ad hanc operationem conductæ, juxta Leonem Africanum. Ast in fœmellis actus hic potius excisio est, quam circumcisio, aut improprie sic dicta, non περιτομὴ, sed ἐκτομὴ ad naturæ tantum tollendum vitium, qvod conceptui partuiq; obesse volunt. Leg. etiam Seid Ben-Ali. Torsellus p. 184. ac Sionita de rel. & mor. Orient. p. 46.

Modum h. v. recenset Tentzelius in Monatl. Unterred. anno 1690. p. 1081. Auff eine Zeit / als eine solte beschnitten werden / gab ich fleißig Achtung drauff / wie ich mit List möchte dazu kommen / daß ichs persöhnlich sehen könte: Erstlich kamen viel Weiber zusammen / hatten Paucken und Seiten-Spiel / sungen und waren gutes Muthes / darnach machten sie ein Bette mitten in der Stuben / und legten diese drauff / die da solte beschnitten werden / die war gantz ausgezogen biß auffs Hembde. Da sie nun auff dem Bette lag / vermahneten sie die andern Weiber / sie solte getrost seyn / es würde ihr kein Leid wiederfahren / denn solches sey der Gebrauch umb des Gesetzes und Religion willen. Darnach knieten 2. Weiber nieder / und hielten ihr die Hände / und eine andere hatte ein Schermesser in der Hand / deckte ihr das Hembde auff / und beschnitte sie. Da sie nun beschnitten / fiengen die Weiber an zu singen und zu frolocken. Die gute Dirne aber wurde gar schwach / daß sie die Weiber mit köstlichen Geruch und Balsam anstreichen musten / biß sie ein wenig zu ihr selber kahm; daß Blut stilleten sie alsbald / huben sie vom Bette auff und zogen sie wieder an. Es werden aber die Mägdlein beschnitten / weil sie noch klein / und bey 8. oder 9. Jahren seyn. Ultimo sciendum: quæ in sexu muliebri vocantur tribades, illi in sexu masculino dicuntur MOLLES a Paulo 1. Corinth. 6. v. 9. vid. notas Lubini in h. l. μαλακοὶ ϗ ἀρσενοκοῖται & 1. Timoth. 1. v. 10. molles & concumbentes cum masculis molles vocantur, qui turpia patiuntur, ac mulierum vices subeunt. Ita Jac. Rauppius in Lex. Theol. explicat. p. 463. molles dicuntur, qui Sodomiam patiuntur,

2496

tiuntur, & concumbentes cum masculis sunt, qui Sodomiā inferunt. Dietericus explicat molles, qvi secū libidinantur; juxta alios interpretes molles cognominantur, qvi indeliciis ac amore fracti sunt & sepulti.

Eadem mollities Coloss. 3. v. 5. ab Apostolo dicitur πάθος i. e. libido succuba, quæ etiam à Beda ita redditur, nec non ab Erasmo, á Rauppio intemperantia affectuum, à Joh. Oleario libido ἐκ τῆς ἐπιθυμίας h. e. originaliter ex prava concupiscentia proficiscente, Syrus vertit præposteras libidines. Πάθος quidem in genere est vox media, qvæ tam in bonam, quam malam partem accipitur in Scripturis, ut plurimum autem in malam: ut Rom. 1. v. 26. & 1. Thessal. 4. v. 5. Corn. a Lapide ita explicat: dicitur libido hæc πάθος, qvia hæc passio ita vehemens est, ut homo illi immersus adeo ab ea absorbeatur, ut potius pati quam agere videatur, sitque instar equi vel equæ adhinnientis, & ad eam furentis.

De probrosa hac mollitie vid. etiam Grotius loc. cit. & Fesselius in Prompt. Bibl. p. 409. h. v. Huren werden in H. Schrifft genennet diejenigen Mannsbilder oder Knaben/ die sich lassen zur Sodomitischē Unzucht um Geldes willen mißbrauchen. vid. Devt. 23. v. 17. aliis cinædi & pueri pathici. Buxtorffius explicat: qui se prostituunt & qvasi consecrant abominando libidinis sceleri. Hoc autē scelus Ægyptiacū fuisse notat Aben-Esra, leg. etiam 2. Reg. 23. v. 7. ubi Grotius vertit; ædiculas effœminatorum, Joh. Lightfoot T. 1. p. 80. domū Sodomitarū, & Pagninus scortorū masculorū. Docente enim C. Sanctio Com. in Esa. c. 2. libido nefaria olim erat maxime frequens ac publica.

Sicuti enim meretrices, ita qvoqve pueri meritorii publice prostabant, & non tantum fœminæ, sed pueri etiam venalem habebant corporis nefarium usum. Aquila vocat ἐνηλλαγμένους permutatos, h. e. qui naturam suam mutarunt & de viris facti sunt fœminæ, explicante ita Hieronymo ad Hoseæ 4.

Contra ἀρσενοκοῖται seu masculorum concubitores sunt, qui eadem turpia peragunt.

Ex his omnibus luculenter apparet, quam modesto ac honesto Scriptura Sacra utatur stylo, ac qvo pacto tectis verbis varia naturæ significet requisita, eodē fere modo, sicut vir prudens suā velare solet sapientiam & tanquam nucem aut amygdalū duro cortici includere, ne

re, ne

re ne ſcilicet lector ex imprudentia ſcandalizetur, ſed potius ad honeſtatis, caſtimoniæ ac verecundiæ exemplū invitetur & inſtigetur. Hinc quando Levit. 11. & Devt. 14. immundos cibos evitare, & contra mundis uti juſſit, non modo Medicum quaſi agere populi ſui voluit, ideo cibos ſalubres a minus ſalubribus diſcrevit, ſed etiam principaliter indicare, multo magis impuritatem ſpiritualem eſſe fugiendum ac viciſſim conſcientiæ puritatem amandam.

Similiter quando Lev. 13. 14. 15. leproſos, item fluxu ſeminis ac ſangvinis affectos ſeparare præcipit ab aliorum cœtu, & extra caſtra rejicere, omnia plena ſunt myſteriis, inculcare nempe hiſce voluit omnem animi turpitudinem & converſationem cum peccatoribus eſſe averſandam. Caſta mens Deus eſt, caſta vult mente vocari,

Et caſtas juſſit pondus habere preces.

Hoc ſpectat etiam honeſta illa ordinatio in populo Dei, quod in conviviis olim præfecti ſeu Architriclini ordinati fuerint, qui leges edendi ac bibendi præſcribebant, ne quis modeſtiæ limites excederet ac ſobrietatis, & ne ἀσωτία ſequeretur Epheſ. 5. v. 18. de his vid. Joh. Druſium, annot. in Eccleſiaſtic. Abrah. Scultetum in Exerc. Ev. ac Rivetum Exerc. 164. in Gen. quare omnes libidines impudicas, ſpurcas cogitationes, obſcenos ſermones, laſcivos geſtus, omnesqua illicitas amoris flammas fugiamus. Prolixius hic leg. Chriſt. Scriverus im Seelen-Schatz P. III. p. 1576. & 1593. ac David Chytræus Enarr. in Devter. p. 587.

Hunc in finem Sacer Codex non ſolum honeſta ac caſta præcipit, ut Philip. 4. v. 8. (ubi voc. σεμνὸς reperitur, quod proprie ſignificat grave, ſcilicet cum autoritate, morum gravitate, modeſtiaque, ac venerandum, cujus oppoſitum eſt leve ac in verecundum) ſed etiam caſte loquitur ea, quæ pudicos homines alias in pudorem dare ſolent & Talmudici ſtatuunt, datos idcirco homini digitos inſtar clavorum acutos, ut ſi forte verbum parum honeſtum audiat, figere ſtatim in aures ſuas digitos poſſit, ne quid turpe aut obſcenum illæ admittant. Virtutem hanc Deus nos diligenter colere deſiderat, quia eſt ornamentum & fere Princeps reliquarum virtutum.

Deinde corpora noſtra ſunt membra Chriſti, qui ſingula pariter corporis membra pro nobis tradidit, ut nos illius ſervitio manciparemus. Porro corpora noſtra templa exiſtunt Spiritus Sancti 1.

Corinth. 6. v. 15. & 19. ergo non contaminemus eadem fornicatione, aliisque vagis libidinibus, quia illa, juxta Bened. Aretium Comm. in h. l. porcorum ſtabulum efficit, pro Chriſto Satanam, & pro Spiritu Sancto Diabolum incolam ſuſcipit. Non enim debent eſſe inſtrumenta ſcelerum, ſed bonorum operum, quæ idem Spiritus puriſſimus per nos efficit, ergo ſacrilegi ſunt, qui corpora ſua per libidinem polluunt. Eleganter & acute locum hunc explicat Tertullianus lib. de cult. fœm. Cum omnes templum ſimus Dei, illato in nos & conſecrato Spiritu S. ejus templi æditua & antiſtita pudicitia eſt, quæ nihil immundum ac profanum inferri ſinit, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam ſedem offenſus derelinquat. Quapropter pro tanti hoſpitis reverentia exquiſite componenda ſunt ac gubernanda membra noſtra, ut Spiritum hunc caſtiſſimum non in anima ſolùm, ſed etiam in corpore portemus: aliàs ſine ſanctimonia nemo videbit Deum. Hebr. 12. v. 14. ut ſummatim loquar:

VIVE DEO CASTE, DUM VIVIS, VIVERE MUNDO
MORTIS OPUS, SI VIS VIVERE, VIVE DEO.

INDEX.

RERUM TRACTATARUM ATQUE VERBORUM.

A.

Αἰσχρολογία Pag. 4
Ægritudo mulierum 7
Abuti muliere 19
Almah 19. & 77
Adire mulierem extraneam 25
Arbeiten 29
Appropinquare alicui 35
Accedere ad mulierem item
Adhærere carni item
Ædificare domum 43
Adhæſio animæ 90
Alligatio animæ 91
Aperire pharetrā telo l. ſagittæ 36
Amare mulierem 37
Amplecti item
Alam expandere ſuper aliquā it.
Aquam bibere e fontibus 44
Aqua furtiva 46
Aqua 46. 47. 48
Abominationem facere 46 & 105
Alloqui 49
Affligere 51
Apprehendere item
Appetitus 88
Abſconditum mariti 89
Amor abſconditus 90
IV. abſcondita item
Adjutorium 94
Aliena 97
Ἀκαθαρσία 101
Ἀσέλγια item
Ἀσχημοσύνη 104
Ἀρσενοκοῖται 110

Blume

B.

Blume p. 6
Beschlaffen 26
Beyliegen 27
Beflecken 28
Besaamen 29
Benevolentia debita 29
Ben 44
Bibere ex fonte proprio & alieno 44. 45. 46
βλέπειν 78.

C.

Commune 5
Consuetudo mulierum 6
Canticum Salomonæum an obscena contineat? 2
Caro 16
Caro altera item
Caro una 17
Carnes magnæ item
Conglutinare item
Corpus 19
Commixtio item
Cognitio item
Chuppa 20
Cognoscere 23
Congressus parva est epilepsia 24
Cingulum solvere 26
Cinctura lumborum 66
Concumbere 27
Concubina item
Cubile 29. & 88
Cubile ascendere patris 89
Cubile dilatare & maculare item
Convenire 30
Cohabitare 36
Crines nudare 39
Cisterna 45. 46. & 57
Colloqui 49
Concupiscentia oculorum 72
Cœcitas laudatur 82
Comestura 87
Conglutinare 91. & 92
Conjugium & conjungo 93
Canes 101
Clitoris 107. & seq.
Circumcisio puellarum 109

D.

Dormitio 25
Debitum conjugale 30
Discooperire turpitudinem 31
Domus 43
Desiderium oculorum 71
Desiderabilia uteri item
Desideria carnis 88
Deglutitio 87

E.

Ebriorum congressus noxius 24
Extranea 25. & 97
Eheschuld 30
Esse cum aliqua 35
Excrementorum defossio 70
ἐπιθυμῆσαι 78
Equi bene pasti 86

F.

Flagellum 8
Fons sanguinis mulierum item
Fluor carnis 15
Fluß-Eyter 16
Fimbria 34
Fieri alicui 36
Fornicatio 41
Fossi 44
Femora, & e femore orti 63. & 65

2440.

Foramina 69
Furtiva aqua 47
Furari cor alicujus 98
Fervor 86
Furnus ardens item
Fames cujuslibet cibi 87
Fovea & fossa profunda 95
Frons meretricis 97
Frons dura & ænea 98
Fricatrices 107

G.

Gynæceum 21
Gurt auflösen 26
Germina 43
Guttur 88

H.

Hebræa lingva cur dicatur sancta p.1.& 2.
Humiliatio 26
Habitare cum aliqua 36
Habere uxorem 37
Hirudo 96

I.

Immundities 7. & 100
Ingredi ad aliquam 25
Introitus item
Illudere 29
Incurvare 39
Insidiæ ad domum proximi 46
Imminuere virginem 49
Jocari item
Ignara mariti 51
Inferiora terræ 52
Inescantes oculi 75. & 100
Incendere 85
Incalescere item
Inebriari amore 87
Insatiabilis uterus 88
Impuritas 101
Iniqua facta 106

K.

Κόρη 71
Καταστρηνιάζειν 85
Κοιμᾶσθαι 88
Κολλᾶσθαι 92

L.

Lingva cur frenulo munita? 5
Lapides excisi ex petra 44
Ludere 49
Lumbi 63. & 66
Lucerna parentum 68
Laqueus 75
Lüsten 88
Labia charitatis 98
Labia mel stillantia 99
Lævia verba 98

M.

Menses & an venenati ac contagiosi 6. & seq.
Muliebria 7
Membra 19
Molere 39. & 104
Meretrix it. Mala mulier 41
Matrix emortua 56. & 57
Matricem effringere 57
Matricem rumpere 58
Μετεωρισμὸς ὀφθαλμῶν 76
Maculare 89
Maculatio carnis 101
Multivola mulier 96
Malum 105
Molles & Mollities 109. & seq.

N.

Novilunium 11

Nube

Nubere 20
Nothzüchtigen 26
Nuditatem revelare 30
Nuditas 32.38.39
Natürlicher Gang 68
Nictus & Nutus meretricum 75

O.

Ova 18
Ovarium humanum 19
Oppressio 26
in opprobrium matricem profanare 35
Olei plantula 42
Occultum 52
Occultus locus 70
Oculorum desiderium 71
Oculus malus 72
Oculus bonus 73
Oculorum laquei 74
Oculorum vis 76
Oculos eruere 83
Oris fœtor 81
per Oscula infectio 100
Onaniticum peccatum 101

P.

Penis cur frenulo præditus? 5
Purgatio 13
Peplum 21. & 23
Polluere uxorem proximi 29
carnem item
stratum 89
Palliũ expandere super aliqvã 37
Prosedæ 40
Prostibulum item
πόρνη 41
Plantare & plantulæ 42
Propagines 43
Ponere semen 44
Perforati 45
Puteus 46
Papillæ 54
Petra 56
Pedes tegere 60
inter Pedes 61
aqua Pedum item
Pedum apertio 62
Pruna parentum 68
Περικάθαρμα 69
Περίψημα item
Posteriora 70
Prurire 84
Πυρῶσθαι item
Panis absconditus 89
Pellex 95
Puteus angustus 96
Peregrina 97
Prædator insidians item
Porci 101
Peccatores coram Domino 103
Peccatum mutum 104
Peccatum valde 105
Peccatum clamosum item
Πάθος 110

R.

Reticulum 23
Rapere virginem 26
Renes 67
Renum scrutator item
Radices amaritudinis 86
Ῥηπαρία 100

S.

Sermo putrid9&obscen9 4. & 79
Sordes 7
Separationis dies 9

Sede-

2492.

Sedere in ſanguine 10
Seminatio & Satio 12
Schwächen 26
Schãdẽ it. zuſchandẽ machẽ 29
Schande 106
Schuldige Freundſchafft 29
Scham 33
in ſinum alicujus ponere fœminam 36
Stabulum 40
Suſcitare ſemen 44
Suſcipere ſemen item
Sanguis parentum 68
Scintilla parentum item
Sella vel Sedes item & 69
Σκύβαλον 70
Stuprum opticum 79
Scortari ore item
Sitis 88
Semen & Saliva verminoſa 100
Selgiticum oleum 103
Sodomia 103
Stultitia item
Σεμνὸς 111

T.

Theriſtrum 23
Turpitudo 31. & 33. & 104
Tangere aliquam 35
Turpiloquium 80
Tribades 107

V.

Verbum otioſum & vanum 4
Via mulierum 7
Veſtes præſcindere 11
Virginitas 13
Uti muliere 19
Uſus naturalis item
Velum 20. & 21
Verecunda & Verenda 31. & 33.
Voluptas it. Voluntas 36
Verhuren 41
Viſitare aliquam 51
in Ventre habere item
in Ventre comprehendere item
Venter, & fores, ſeu oſtium ventris 52
Ventris fructus 68
Vulva 52
Vulva orbans 56
Vulvæ occluſio 59
Ubera compreſſa & contuſa 53
Vas ſuum, & vaſculum infirmius 55. & 56
Vaſa ad dedecus 60
ab utero 58
Uterum aperire item
Utero clauſo eſſe 59
Uteri ſtirps 68
Viſcera 62
Vino ferviens 70
Vini exitus item
Uri 84
Vulnerari amore 87
Unluſt 88
Vinculum conjugale 93. & 94

W.

Eines Willen thun 29

Z.

Zona 15
Zuſchaffen haben mit einen 28
Zuſammen ſich halten item
Zuſammen kommen 30

TANTUM

D. S. T. L. E. G. S.